Thomas Grymes; alias, Graham, de Peckham
in Com: Surr: Armiger. Ætat: Suæ 14.

Qui nunc Grahamus, oro sis Montrosius. Votum A: W:

Lorge fecit

Thomas Grymes; alias, Graham, de Peckham
in Com: Surr: Armiger. Ætat: Suæ 14.

Qui nunc Grahamus, oro sis Montrosius. Votum A: W:

Lorge fecit

Parliamentum Imperatorium:

SEU

Carmina Progymnaſtica;

IN

Centum quinquaginta quatuor, omnium Romanorum, Græcorum, & Germanicorum Cæſarum, à C. Julio Cæſare uſq; ad Ferdinandum Secundum Cæſarem Auſtriacum, Symbola, & dicta Imperatoria.

Opera Ludi--literaria Thomæ Crymes, D. Georgii Crymes (alias Graham) de Peckham in Com. Surr. Equitis filii natu maximi.

Ætatis ſuæ decimoquarto.

Lector, abi; nondum ferulæ ſubduximus (eheu!)
Dextram: quid tibi cum verbere? Lector, abi.
Nos pueris canimus: puerilem hunc crede Catonem;
Ne tristis libro sis tamen ipſe Cato.

LONDINI,

Excudebat *G. Dawſon*, venundat *L. Chapman*, ſub Signo *Coronæ*, in diverticulo vernaculè vocato Popes-head Alley. 1654.

x 66 - 1390

Tam Literarum quam Proſapiæ inſignibus ornatiſsimo viro, D. GEORGIO CRYMES (alias GRAHAM) equiti, patri ſuo multis nominibus colendiſſimo.

Honoratiſſime Pater,

DUplici ære alieno obrutum, duplici tibi debito, naturæ ſcilicet atque eruditionis, devinctiſsmum me agnoſco. Rudem ſiquidem indigeſtamq; corporis molem genuiſſe parum erat; niſi inſuper mira literarum virtute formatrice novam creationem, nova natalitia, animæ quoq; dares: In quo certe multum diſsimilis aliorum parentibus evaſiſti, qui paterni muneris palmarium exiſtimant, ſi filii ſui (heu nimium generoſi) venaturæ, atque aucupii artes, rectius forſitan dedocendas, loco liberalium, ediſcant; ſeque abunde hæredibus in poſterum conſuluiſſe autumant, cum facultates amplas, canumq, ſagacium agmina, minus ſagaci ſoboli reliquere. Ipſe vero longe melius liberis tuis proſpicis; dum

in voluptatibus, & oblectamentis eorum, ludum literarium, in re familiari, artes, & scientias posuisti. Omni enim patrimonio nobiliores cogitationes, omni peculio ditiores te curæ exercent, nullumq; non lapidem moves, ut sobolem vestram, non tantum de perituris fortunæ bonis, verum immortalibus illis animi etiam, perpetuos hæredes ex asse instituas. Quo scilicet non tam nomine, & corporis effigie, quam eximiis animi dotibus patrem ita exprimere valeant; ut in illis senex repubescere, mortuus revivere videaris: & diutissime superstitem precor, eadem stirpe prognatus, eodem ingenio & indole præditus, iisdem doctrinæ morumq; præceptis imbutus, qui tibi in æternum succedat: Interim quidni gratuler proscriptæ Academiæ Oxoniensi suum quondam eruditissimum Baptistæ Collegium? quidni etiam (pæne dixeram) gratularer itidem deploratæ patriæ civilia sua bella; bella quidem in hoc solummodo fœlicia, quod me fœlicem tali institutore reddiderunt, qui utriusq; linguæ grammaticam, utriusq; etiam carmen triennali industria edocuit. Jam vero quid illi; imo quid tibi potius, charissime Pater, retribuam: ingentia pol beneficia fecerunt, ut primogenitus tuus perpetuo (proh dolor!) ingratus vivet, ingratus etiam morietur.

morietur. Quid ergo inquam retribuam, niſi quod prius accepi, ipſiſq; muneribus tuis teipſum remunerarer? En igitur! humillime tibi acceptum ſanguinem, humillime etiam acceptam refero indolem; utrumq; veſtrum eſt: ideoq; utrumq; tibi jure meritiſſimo do, dico, conſecroq; illud in ſacrificium, hoc in mnemoſynum: ſanguis etenim, quem libentiſſime dediſti, libentiſſime pro ſalute veſtra litabitur: Indolis ſpecimen, quale quale illud eſt, in ſempiternam gratitudinis memoriam ſupplex tibi hic libellus offert; & ſeſe in clientelam veſtram recipi geſtiens, tutelari præſidio inniti exoptat. Non aliter Virgilius (abſit verbo jactantia) patronum ſuum coluit Auguſtum, non aliter ſuum Mœcenatem Horatius; ego vero te, cum patronum, tum patrem veneror: & quoniam fieri non poteſt, ut auguſtiſſimum Virgilii poema exhibeam, ipſum Virgilii Auguſtum defero, unaq; cum Octavio centum & quinquaginta Mœcenates Imperatorios: Cæſares ſunt, Pater, amplectere; teq; ſic proba Grahamum, ſic quoq; patrem

Filii tui patrizantiſsimi,

THOMÆ CRYMES.

C. Ju-

Liber Primus,

QUO

SYMBOLA,

SIVE

DICTA;

Continentur Imperatoria a Caio Julio Cæſare Romanorum Imperatorum primo, uſque ad Conſtantinum Magnum primum Imperatorem Græcum.

C. Julii Cæſaris Dictum, ſive, Symbolum.

Semel quam ſemper.

NOnnunquam eſt melius properam deponere vitam,
Et dubios certo claudere fine dies;
Atque manu ſævum crudeli inducere funus,
Quando anima in tepido deſeret oſſa rogo;
Quàm ſemper mortis triſtes perferre labores,
Atque necis diræ curva ſubire juga.
Quid trepidat magnâ tenerum formidine pectus?
Molli fœmineum ſolvito corde metum:
Namq; perire ſemel, timidè quam vivere ſemper
Præſtat; bis moritur, quem necat ipſe timor.

D. Octavii Cæſaris Auguſti Dictum.

Feſtina lente.

Auguſtus Cæſar, qui multo victor ab hoſte
Ad dominam Romam læta trophæa tulit:
Feſtina lentè dixit, nam maximus ille;
Securus mallet, quàm fore ductor inops;
Conſiliis ſiquidem nil tam diſcriminis obſit
Magni, quàm præceps mens ducis atq; rudis;
Qui feſtinando bellatrix agmina perdit,
Et miſerè ſævo victus ab hoſte redit.
Vult teſtudineo concurrat agmine Cæſar,
Sat citò ſunt, quæ ſunt prælia cauta ſatis.

Tybcirii

Tyberii Cæſaris Dictum.

Melius tondere, quam deglubere.

UT Coridon ſolers, pecudes qui in paſcua ducit,
In viridiq; herbâ paſcere gaudet oves,
Splendentes floccos pecudũ tondebit in umbrâ,
Caprarum hirſutas excolet atque genas:
Summa bonus princeps populi ſic vellera fiſco
Tondet, eas miti ſub ditione tenens;
Sed ſi continuo cenſu deglubet inertes,
Ut paſtor teneros corticat aſper oves;
Bellum agit, inq; feros mutatur ovile leones:
Nec mirum; paſtor cum ferus ipſe lupus.

Caii Cæſaris Caligulæ Dictum.

Oderint dum metuant.

NOs timidi cives odio inſectentur acerbo,
Invidiæ ſpargant ſemina dira malæ;
Illorum mentes, dum barbarus arguit horror,
Sævaque perturbat frigidus oſſa tremor.
Rex odium populi metuens blandus, nimis atq;
Mitis, & invidiæ ſemina vana timens,
Non dare per gentes valeat pia jura rebelles,
Et neſcit populis imperitare ſuis.
Cuſtodit regnum princeps formidine: fecit
Reges atque deos primus in orbe timor.

Claudii

Claudii Cæſaris Caligulæ Dictum.

Generis virtus nobilitas.

DAnt tibi majores magnum, & memorabile (nomen,
Si quæras famam nobilitate tuâ;
Implebis vacuas ſed plùs ſermonibus aures,
Latiùs & vivax te tua fama feret,
Si caſtæ ex alvo matris natura profudit,
Et fælix tali ſtirpe creatus eras,
Quæ minimè dubitat virtutem extendere factis,
Victrici & lauru tempora cincta gerit.
Nobilitas etenim virtus eſt unica, quæ det
Æternos proavos, ſtemmaque ſola tibi.

Domitii Neronis Dictum.

Artem quævis terra alit.

CUI dedit ingenuas artes, ſua lætus Apollo
Munera, quem ſtudiis excoluitq; ſuis;
Fælices annos poſſit complere, beatus
Tranſeat ac ævi tempora cuncta ſui.
Nam vitam prudens extrema per omnia ducit,
Et ſapiens cautè cuncta pericla fugit:
Solamen vitæ nullum ſic dulcius arte;
Cum ſors atra bonis incubat, atque malis:
Namq; ſcientiã alit quævis terra, & bene nutrit,
Ac ars eſt ſortis nobilis ara malæ.

Sergii

Sergii Sulpitii Galbæ Dictum.

Miles legendus non emendus.

SAnguinei ſimiles amat certamina Martis,
Et cupit invictis viribus eſſe ferox;
Ad belli rabiem quem non ſtipendia pronum
Reddunt, ſed fortem gloria ſola facit:
Milite de multo bellatorem hunc tibi ſume;
Lectus dux, emptus non placet ære malo.
Deficiet ſiquidem; nec merces pectus avarum
Alligat; hæc ubi nam maxima, nulla fides:
Nulla fides pietaſq; viris qui caſtra ſequuntur;
Ac eſt venalis quæ manus, illa rapax.

M. Sal-

M. Salvii Othonis Dictum.

Unus pro multis.

SIcut Otho, quamvis ſævus rex atq; tyrannus,
Tam populi tamẽ hunc movit honeſtus amor,
Nequaquam ſineret dubium diſcernere bellum,
Cum forſan poſſet vincere mollis Otho;
Sed damnat multo ſaturũ jam ſanguine Martem,
Denudans jugulum cæde recente ſuum;
Et pro prole ſuâ, Pelicani more, periret,
Dum fodit propriâ pectora nuda manu.
Sic rex innumeris pereat pro civibus unus,
Seque patrem patriæ ſic probet eſſe ſuæ.

Aulii

Aulii Vitellii Dictum.

Bonus odor hostis, melior civis occisi.

SIccine Vitelli? meliorem spargit odorem
Impia mors civis, vulnus atroxve boni,
Invisus quàm cum divis, atq; impius hostis,
Vestræ & qui patriæ sanguinolentus erit,
Funestam vitam multo cum sanguine fundit,
Purpureâ pinguem cædeq; tingit humum?
Siccine Vitelli? est melius te, sæve, perire,
Tristia & extremo claudere fata die,
Corpora quàm populi stagnare horrenda cruore,
Innocuâ & cives cæde perire tuos.

Flavii

Flavii Veſpatiani Dictum.

Lucri bonus odor ex re qualibet.

QUi, gazis inhians, cõgeſto pauper in auro eſt,
Argentum & magni numinis inſtar habet,
E quavis nummi re ſuavem cenſet odorem
Sordidus, & lucrum quòd benè ſemper olet.
Sed quicunq; ſtudet populari incumbere famæ,
Cujus erit ſcriptis gloria clara ſuis;
Hic magnum pondus contemnet divitis auri,
Auratasq; trabes, Marmoreumq; ſolum;
Nec niſi jucundo capitur virtutis odore;
Mattula cui putet, pravaq; lucra ſimul.

Titi

Titi Veſpaſiani Dictum.

Princeps orbis amor bonus.

QUI juſtus princeps, rerũ cui magna poteſtas,
Et dictat populis jura colenda ſuis;
Qui novit ſervare pios, & flectere ſontes,
Et metuenda tenet ſceptra, jubente Deo:
Quilibet huic civis concordi paret amore,
Et ſincerus amor concomitatur eum;
Qui regis dignas laudes annalibus addet,
Victrici cupiens cingere flore caput.
Delitiæ eſt juſtus nam princeps orbis, amorq;
Inſignis ſicut Veſpaſianus erat.

Flavii Domitiani Dictum.

Fallax bonum regnum.

QUem penes eſt ſolium nitido diademate ful-(gens,
Purpureâq; tenet regia ſceptra manu;
Fulgentem nitidis ſtellis qui continet aulam,
Et cujus gemmis enitet alta domus;
Illum decipiunt ſolium, ſceptrumq; caducum,
Et nimium fallax gloria nomen habet:
Nec tantùm inconſtans vanà ſpe ludit amantem,
Et lactat dominum lubrica pompa ſuum;
Verùm etiam jugulum ſtricto mucrone reſolvit,
Infauſto claudit ſæpeq; fine dies.

Ner-

Nervæ Coccei Dictum.

Mens bona regnum poſsidet.

JUſtitiæ eſt quiſquis rigidus ſervator honeſtæ,
Exactè & verâ ſimplicitate bonus;
Qui leges æquas indicens, nèn ſibi natum,
Sed populo tantùm ſe putat eſſe ſuo.
Cui pudor incendit vires, & conſcia virtus,
Duraq; mens robur forte dat, atque bonum.
Poſſidet hic ſolium ſtellis gemmiſq; coruſcum,
Præcingit fulgens atque corona caput:
Rex eſt ipſe ſibi, regalem qui tenet aulam,
Quam ſibi mens recti conſcia quæq; dabit.

Ulpii

Ulpii Trajani Dictum.

Qualis rex talis grex.

SI princeps, æqui cultor, timiduſq; deorum,
Conſcribit populis jura colenda ſuis;
Qui ſine peſtiferâ labe eſt, aut crimine turpi,
Juſtitiam & vigili ſi pietate regit.
Principis illius gens ſervantiſſima recti eſt,
Famosâ cujus vitaq; labe caret:
Quod ſi ſit princeps vitio vitioſior ipſo,
Cui juriſque locum vendicat enſis atrox;
Ejus tum populus ſævis omne arrogat armis:
Qualis enim rex eſt, grex quoq; talis erit.

Ælii Hadriani Cæsaris Dictum.

Non mihi sed populo.

CUM virtute magis rex quàm diademate (fulget,
Severi juris fœdera sancta colens;
Non sibi conspicuos adipisci gestit honores;
Pro natisq; suis quærere gaudet opes:
Splendentem exoptat populum, civesq; beatos,
Et plenus regni commoda fiscus erunt:
Nec sua se tangit, sed publica gloria; gentis
Ut spernant structos nomen honosq; rogos.
Nam putat hic patriæ se patrem, consulit omni;
Non sibi, nec proprio, at publica vota, movent.

L. Ælii Cæſaris Dictum.

Vxor nomen dignitatis non voluptatis.

QUiſquis connubio ſociam ſibi jungere vellet,
Atq; ſubire ſacri debita jura tori ;
Lumine demiſſo, & dulci probitate rubentem
Eligat uxorem jungere ritè ſibi.
Nec cupiat placidi genialia gaudia lecti,
Neve animum obſcœnis exhilarare jocis ;
Sed petat hic nuptã, non carpere gaudia nuptæ ;
Nec pulchrã, at placeat fœmina caſta magis,
Quæ ſervans thalami ſocialia fœdora, charum
Sponſũ amet, ut ſponſum, non amet illa virũ.

M. An-

M. Antonii Pii Dictum.

Melius ſervare unum, quam occidere mille.

QUem ſibi proregem divina potentia fecit,
Ut juſtè terris debita jura daret;
Pacatum regit hic patriis virtutibus orbem,
Firmaq; tranquillæ fœdora pacis amat.
Concordes cives in tutâ pace gubernat,
Et conjurato fædore bella fugat.
Nam ſervare putat civem unum pulchrius eſſe,
Hoſtes quàm dextrâ mille perire ſuâ.
Ergò bonus dici vis' ſis tu, Cæſar, amicus;
Nulla ducis virtus gratior eſſe poteſt.

M. Aurelii Antonini Philoſophi Dictum.

Regni clementia cuſtos.

CUI data majeſtas cogendi mobile vulgus,
Quem penes arbitrium Cæſaris omne manet,
Non fera ſint ſilicis circum præcordia venæ,
Cùm rigidum ferri ſemina pectus habet,
Quod nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Quodq; lupis ſævis plus feritatis habet;
Atqui reſpiciat placato Lumine cives,
Dexter clementi numine ſitq; ſuis:
Securus ſiquidem regni clementia cuſtos,
Optimus & populi eſt ipſe ſatelles amor.

L. Veri

L. Veri
Dictum.

Nil obiter.

QUiſquis prudenter dicēda, tacendaq; callens,
Conſiliis habitus non levis autor erit;
Hic æquâ librat prævisa negotia lance;
Nil obiter ſtatuit, præproperèq; nihil:
Magni momenti res differt cautus in horas,
Securas metuens præcipitare moras.
Cujus enim canos decorat ſapientia mores
Palladia, & ſolus qui ſua terga videt;
Quicquid agit, cunctanter agit; deliberat omne,
Mentem prudentem nam mora ſola facit.

L. Aurelii Commodi Dictum.

Paulatim.

CIngere qui cupiet victricia tempora lauru,
Non subitò, aut temerè, prælia mœsta paret.
Paulatim pugnas dux callidus, & fera poscit
Prælia, cunctanter diraq; bella mover;
Ut clarũ inde pedem multâ cum laude reflectat,
Militiæ ostentans fortia gesta suæ.
Cunctando Hannibalẽ vincens, en Maximus ille
Rem patriæ Fabius, restituitq; suam.
Ne properes igitur; te semper differ in horas:
Qui non est hodiè, crâs magis aptus erit.

P. Hel-

P. Hellvelli Pertinacis Dictum.

Militemus.

FInire est melius crudeli morte dolores,
Et vitam miseram, servitiumq; grave,
Mœstaq; lethiferis opponere pectora telis,
Queis hora infaustos finiat una dies;
Quàm miserum spatium servilis ducere vitæ,
Observare & heri tristia jussa sui.
Ergò age; vel pugna, vel fortiter occide; clara
Sic mors, aut veniet libera vita citò.
Sin timidè bellum horrescis, te Jupiter odit;
Æternus flexo poplite servus eris.

M. Didii Juliani Dictum.

In pretio pretium.

SI tibi munificum fœlix conſtruxeris aurum,
Quod taciti fures nocte ſilente petunt;
Clarus eris fortis, juſtus, ſapienſq;, bonusq;,
Et teneas forti regia ſceptra manu.
Obſervant etenim divina humanaq; juſſum
Argenti, morem divitiiſq; gerunt.
Non aliter Danaen latebroſo carcere clauſam
Auratis vitiat dives adulter aquis:
Pervius Acriſius nummo eſt; ſeſeq; probavit
Fulgenti tantùm Jupiter imbre Deum.

C. Pic-

C. Piecennii Nigri Dictum.

Placere vivus, laudari mortuus volo.

CAndida ſceptra tene, princeps, diadema ſe-
(renum;
Civibus O mitis ſis, placiduſq; , tuis ;
Regna cum ingenio facili, blandâ arte polito ;
Omnia tranquillâ mente gerenda rege :
Ut cùm præteriti ſpatium mors occupat ævi,
Injicit & triſtes rex gemebunda manus ;
Gloria magnificæ dicat præconia laudis,
Et cantet toto nomen in orbe tuum.
Tutus ab invidiâ vivus, morienſq; quieſcet,
Quem nulli vivum diſplicuiſſe ferunt.

Lu. Septimi Severi.

Dictum.

Laboremus.

PErnitiosa strepunt rauco dum cornua cantu,
Dumq cavæ clangunt horrida signa tubæ;
Heu virides nullo scinduntur vomere campi,
Pinguia nec durus rura colonus arat:
Horrida sed squalent abductis arva colonis,
Fœcundæ Cereri nec datur ullus honos.
Cum verò positis mitescunt secula bellis,
Clauditur & Martis porta cruenta feri;
Æquora mercator, tutò sua rura colonus
Sulcat ovans: cunctos aurea secla beant.

M. Aur.

M. Aure. Antonini Caracallæ.

Dictum.

Omnis in ferro ſalus.

BElla movent contra regem ſi dira rebelles,
Exercentq; feri flebile Martis opus;
Illico per muros legio, ſortita periclum,
Principis & vigiles excubet ante fores:
Omnem aditum regni fido cuſtode coronent,
Et dominum ſtipent agmina denſa ſuum.
Horrida nam firmam certò dant arma ſalutem,
Solaq; Magnanimum bella tuentur herum:
Nulla ſalus pace eſt. Sic immedicabile vulnus
Enſis ſanabit, cùm medicina nequit.

P. Sep-

P. Septimii Getæ Dictum.

Nulla fides Regni.

NON benè conveniunt virtus, & ſumma (poteſtas;
Collegæ ſolium eſt impatienſq; ſui.
Haud Phæbum geminũ fert cœlũ, haud Roma (priorem
Cæſar, Pompeius nollet habere parem.
Ergò quiſquis habet rutilam diademate frontem,
Cui ſunt cuncta ſuâ clauſa, patentq;, manu;
Ne ſi dat charo fraterno more ſodali,
Verùm ſit conſtans Marte in atroce fides:
Nulli fides etenim regni. Nam magna potenti
Non benè cum ſocio regna, Venuſq;, manent.

M. Ope-

M. Opelii Macrini Dictum.

Ferendum ac ſperandum.

QUòd premat infœlix ne nos metuamus egeſtas;
Æraq; congeſtæ parva rogare ſtipis,
Pauperiemq; gravem, & duros perferre labores,
Ac petere exiguos ore tremente cibos:
Sed quicunq; malis in rebus, ſive ſecundis,
Sors tulerit; forti pectore quiſq; ferat;
Et placidus, quo fata trahunt, retrahuntq; ſequatur;
Se ſic fortunæ præſtat utriq; parem.
Optima ſperentur, metuantur peſſima; ſortem
Quamlibet exoptat qui ſuperare, ferat.

M. Aur.

M. Aur. Antonini Elagabali. Dictum.

Suus ſibi quiſquis hæres optimus.

DUlcia feſtivo celebremus gaudia plauſu,
Lætitiæ blandæ ſignaq; vaſta demus;
Ac epulis menſas noſtras oneremus opimis,
Jungamuſq; hilari vina jocoſa cibo;
Jugluviemq; eſcâ lautâ, dapibuſq; replentes,
Dulci inſtauremus pocula plena mero;
Vivamuſq; hodié namq; eſt ſpatium brevis æri
Fallax; & ſera eſt craſtina vita nimis.
Ergo non avido hæredis fidamus amori,
Sed præſens hæres ſit ſibi quiſq; ſuus.

M. Au-

M. Aurelii Severi Alexandri Dictum.

Quod tibi, hoc alteri.

SI non vis fraudis ſpectacula dira videre,
Nec tibi & impoſtor ſubdola verba daret;
Nec cupis ut miles congeſtum ſubtrahat aurum,
Et formoſarum nobile pondus opum;
Fac igitur ne des aliis tu callida verba,
Neve vafer cupias fallere mille modis.
Talio namque ultrix eſt, & juſtiſſima pœna,
Si patereris idem, quod prior ipſe facis;
Hoc Phalaris docuit: neq; lex eſt juſtior ulla,
Quàm necis artifices arte perire ſuà.

Maxi-

Maximini Dictum.

Quo major, hoc laboriosior.

QUI cupit optatam curſu contingere metam,
Sive ſit illa ſagi, ſive ſit illa togæ;
Æſtatem, ac hyemes patitur, ſudabit, & alget;
Plurima vir faciet, multa feretq; puer;
Hic ſua perduros exercet membra labores,
Et fert Mercurii, grandeq; Martis opus;
Caſtigatq; moras, opere omnis ſemita fervet,
Ibit & ad ſolitum ſæpiùs acer opus.
Quiſq; tenet nam cum ſtudio faſtidia ſumma,
Et ſine nil magno vita labore dedit.

C. Ju-

C. Jul. Veri Maximini Dictum.

Vltorem ulciſcitur ultor

NEſcius humanis precibus manſueſcere corda,
Qui gaudet ſævas tingere cæde manus;
Hic propriam vitam finibit morte cruentâ,
Et pœnâ meritò plectitur ipſe ſuâ.
Sic Nemeſis Nemeſim, ultoremq; ulciſcitur ultor;
Quiſq, nocens facinus perpetiturq; ſuum.
Nam fraus eſt ſimilem conceſſa repellere fraudẽ,
Armaq; in armatos ſumere jure licet.
Non ergò attollat te vana ſuperbia flatu,
Omne etenim regnum ſub graviore jacet.

M. Anto. Gordiani Primi Dictum.

Omnis vita ſupplicium.

FEſtinos quiſquis plauſus ad ſydera tollens,
Teſtatur cæcâ gaudia mente nova;
Induit ac faciles plaudenti pectore vultus,
Suaviter exultat lætitiâq; vagâ;
Fert vigiles animi triſtis tamen ille labores,
Et clauſum mœſto pectore vulnus habet.
Optima vita etenim ſecum ſua vulnera geſtat,
Eſtq; dolor, miſerum ſuppliciumq;, ſibi.
Dii nobis fœlix nil omni ex parte dedere;
Longa nimis miſera eſt vita, beata brevis.

M. Anto.

M. Anto. Gordiani Secundi Dictum.

Pro patria mori pulchrum.

Præparat hoſtis ubi in patriã diſcrimina Martis,
Injuſtaſq; acies, bellaq; ſæva movet;
Protege ſollicitos telis pius ipſe penates,
Nec dubita timidos ære ciere viros;
Fortiter & vitam multo cum ſanguine funde,
Feſtivos hilari claudeq; fine dies;
Dulce mori eſt: fatum hoc aræ voluere, fociq;
Religio quæ dat vulnera, ſancta puta.
Semper enim nomenq; ſuum, laudeſq;, manebũt,
Qui benè pro patriâ, cum patriâq; jacent.

M. Clodii Pupieni Maximi Dictum.

Qui timetur timet.

QUI gerit immiti ſilices in pectore duros,
Atq; lupis ſævis plus feritatis habet;
Percellitq; virum trepida formidine pectus,
Infeſtat quorum triſtia corda pavor..
Pejores ſentit languenti pectore motus,
Et torpet gelido lingua retenta metu.
Nam timèt hic, alios terrens, fugietq; timentes,
Authorem in dirum terror & iſte redit.
Quàm benè conveniat miſero ſors iſta tyranno,
Subdita quem, non cui ſubdita turba timet.

D. Cælii

D. Cælii Balbini Dictum.

Bonis nocet, qui malis parcit.

JUdex qui vultu ſævo eſt, ac enſe ſeverus,
Solliciti terrens pectora mæſta rei;
Ac incorrupto dirimit qui jurgia teſte,
Cui ſunt & dubii credita jura fori,
Furibus hic optet dignas imponere pœnas,
Damnatis miſeræ, quam meruere, cruci.
Ne peccet clemens in commoda publica; ſonte
Victima non patriæ gratior ulla cadat.
Suppliciis gravibus latrones ergò premantur:
Qui pravis parcit, nam nocet ille bonis.

M. Ant. Gordiani Tertii Dictum.

Princeps miſer quem latet veritas.

REgia quem penes eſt vaſtæ cuſtodia gentis,
Et dat per populos jura ſuperba ſuos;
Sæpè hunc circumſtat denſorum turba malorũ,
Ac infælicem fors inimica premit;
Cùm rerum nequeat prudens inſpector haberi,
Et minùs æquatâ cuncta bilance probet;
Vilis adulator quòd fundit ſubdola dicta,
Mellitis labiis verba doloſa loquens;
Aulaq; quod fallax mendacia callida jactat,
Turpi & vaniloquos reddit ab ore ſonos.

M. Ju-

M. Julii Philippi primi Dictum.

Malitia regno idonea.

CAndida cujus habent nil fictæ pectora fraudis
Seq; reum taciti, qui vetat esse, doli :
Atq; cupit famam justis extendere factis,
Splendida cui virtus nobile nomen erit ;
Perditus auratum solii ne quærat honorem,
Nec regis forti sceptra tenenda manu.
Jura, pudorq; aulas fugiunt ; privata videntur
Relligio, atq; fides, cum pietate, bona.
Non coeunt etenim virtus, & summa (potestas,
Exeat ergò aulâ, qui volet esse pius.

M. Ju-

M. Julii Philippi Secundi Dictum.

Multa nec apta.

QUI doctas implet multis ſermonibus aures,
Et dicit vanis plurima verba modis;
Aëra per voces hic fruſtrà jactat inanes,
Additur & dictis ſtulta loquela ſuis.
Sed ſapiens cautè dicenda, tacendaq; callens,
Deridet nugas, ſtultitiamq; levem.
Quilibet ergò ſagax, cui lux eſt reddita menti,
Omnia conſultâ mente gerenda regens,
Tempora ſcit fandi: opportuna ac apta loquetur,
Comprimet aut vocis murmura vana ſuæ.

C. Meſ-

C. Meſſii Quinti Trajani Decii Dictum.

Apex magiſtratus authoritas.

QUem penes eſt punire malum, & defendere (juſtum,
Cui populi incumbit cura paterna ſui;
Dextra habeat fulmẽ, majeſtatemq; tremendam,
Quæ regi, vitæ jura, neciſq;, dabit.
Aſſidet hæc divis, divorum eſt maxima cuſtos,
Quæ præſtat ſine vi ſceptra tenenda Jovi.
Hæc dominos in honore pio, ſervoſque tenebit,
Exiſtens pueris, virginibuſq;, comes;
Quæ veneranda metu ſacro omnes continet; atq;
Dat pretium dignis, ſuppliciumq; malis.

Quinti

Quinti Herennii Etruſci Decii Dictum.

Fugitivo nulla corona.

DIffugit in bello quiſquis per flumina præceps
Sollicitâ repetit tutaq; rura fugâ;
Quadrupedemq; citum ferrata calce fatigans,
Devitat Martis prælia dira feri;
Cingentur minimè victricia tempora lauro,
Quæ clarum ſervat fronde virente decus.
Quiſquis enim dubii ſpernit diſcrimina belli,
Huic meritò inſigni ſola corona datur;
Nulla ſalus victo, fugitivo nulla corona;
Mors illum, æternùm hunc peſſima probra (manent.

C. Vi-

C. Vibii Treboniani Galli Dictum.

Nemo amicus Idem, & adulator.

QUI fidus remanet duris in rebus amicus,
Et cujus conſtans pectora jungit amor;
Hic non cum ſocio ſimulatâ mente locutus,
Dicet mendaces, Blanditiaſq; leves;
Nec cupit inſidiis conſortem fallere vafris,
Nec charo comiti callida verba dare;
Collegæ at narrans ſceleratæ crimina vitæ,
Sincerè culpas arguet, atq; nefas:
Illius ſocio ſic verè fidus amicus,
Et morum fidus ſiç quoq; cenſor erit.

C. Vi-

C. Vibii Voluſiani Dictum.

Sine vano publica fama.

FAma volans, vacuas quæ implens ſermonibus aures
Per terras errat, ſydera perq; mare,
Guttere non ſemper vano mendacia jactat,
Nec dicit ficto garrula verba modo;
Nec dũ fama frequens totũ circumvolat orbem,
Perpetuò a veri diſſidet illa fide.
Altera rumorem talem patrimonia credas;
Quo ſemel amiſſo, poſteà nullus eris.
Omne igitùr perdens, famam ſervare memento;
Sit veluti ſacrum numen & illa tibi.

C. Ju-

C. Julii Æmiliani Dictum.

Non gens, ſed mens.

TE tumido attollat ne vana potentia flatu,
Nec faſtu inviſo turgida corda geras;
Atria quòd veteres exornant undiq; ceræ,
Quæ genus a priſca nobilitate trahunt:
Sed gloriare tua in virtute, haud ſanguine; ſola (hæc
Sanguinis eſt omni nobilitate prior.
Duratura diu vivet poſt funera virtus,
Effugit extremi mœſtaq; fata rogi:
Hoc jacta, veſtrũ eſt: ſed quæ non fecimus ipſi,
Cum genere, & proavis, vix ea noſtra voco.

P. Li-

P. Licinii Valeriani Dictum.

Non acerba ſed blanda.

EXitium præſens hoſtem tibi ſperne minantē
Præmunitus eris, premonituſq; nimis:
Hunc verò metuat pavidum formidine pectus,
Hujus fallaces pertimeaſq; dolos;
Qui tibi blanditiis mellitis carmina reddet,
Et vendet fumos, fictaq; verba dabit.
Sermo etenim eſt nigri tabes funeſta veneni,
Mortiferum & virus murmurat ore ſuo.
Mors dira in mulſo ſic ſæpè reconditur; atq;
Triſtia ſub dulci melle venena latent.

P. Li-

P. Licinii Gallieni Dictum.

Prope ad ſummum, prope ad exitum.

IGneſcit quiſquis popularis honoris amore,
Quemque premit vanæ laudis anhela ſitis;
Hic animã tumidam varia in diſcrimina mittens,
Veſanæ mortis certa pericla ſubit.
Sic cùm Roma, ſuis armis, belloq; ſuperba,
Per populos leges, juraq; lata, dedit;
Evertit gentem, vanoq; a culmine pompam
Dejecit juſti flebilis ira Dei.
Stare diu excelſis rebus, ſummiſq;, negatur;
Pondere ſunt lapſus ſub nimioq; graves.

Soloni

Ṣoloni Valeriani Dictum.

Magnum ſatellitium amor.

Obſequii fidi ſocialia vincula, civis
Legitimoq; tenax fœdore junctus amor,
Tutiùs aſſervant reges, aulaſq; regentum,
Quàm cuſtos qui ſtat ſedulus ante fores:
Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela,
Quàm chari civis protegit almus amor.
Fruſtrà igitur turmæ regem cuſtode coronant,
Communi portas ac ſtatione tenent;
Hunc etiam fruſtrà valla, & munimina ſervant,
Si non civis amor claudit ubiq; latus.

C. Ju-

C. Junii Caſſii Poſthumi Dictum.

Audentes fortuna timet.

NAvita ſi claſſem violentâ ducit in undâ;
Cum quatitur rapido puppis adunca noto;
Qui funeſta ferens dubii diſcrimina caſus,
Pertentat tumidi dira pericla maris;
Hunc ſors præcipitem liquidis non obruet undis,
Nec merget rapido fortia membra freto.
Nam veluti evertit triſtis fortuna timentes;
Sic etiam audaces forſq; deuſq; juvant.
Nil diſpera igitur: victus licèt ipſe reſurgas;
Quoſq; neges unquam poſſe jacere, cadent.

M. Aurelii Claudii Dictum.

Rex, viva lex.

QUem penes eſt legum juſtarum magna po-(teſtas,
Dum gerit innocuâ regia ſceptra manu,
Hujus ad exemplum totus componitur orbis,
Fitq; ſuis princeps lex animata pius:
Virtutis cives, & vitæ, juſſa ſequuntur,
Mandatum regis non violantq; ſui:
Plùs ſacro parent exemplo principis, atq;
Hos vitæ cohibet ſanctio ſtricta magis,
Quàm leges ullæ, quamvis a ſanguine ductæ,
Queis vitam reges dant, animamq; boni.

M. Au-

M. Aurelii Quintilii Dictum.

Honesta mors, honesta turpitudo.

DEplorata trahit dum vilis tempora vitæ,
Dilapidans patrias heluo turpis opes;
Omni pejorem exitio per crimina lucem
Ducit, & ingratas impia vita moras.
Sed qui vel vivet, saltem aut morietur honestè,
Patria cum tristis, religioq; jubent;
Stat sine morte decus, manet indelebile nomen,
Et meliore sui parte perennis erit.
Ergò mori satiùs, meritum quàm ferre pudorē:
Nam non turpe mori est, turpiter immò mori.

L. Domitii Aureliani Dictum.

Quo major, eo placabilior.

TRux leo, qui luſtrans ſævarum tecta ferarũ,
Concutit horrendas ore fremente jubas;
Sat putat ardenti corpus proſtrâſſe furore,
Iraq; habet finem, cum jacet hoſtis atrox.
Sic quiſquis valido, & invicto pectore præſtat,
In quo magnanimum, forteq; robur ineſt;
Autumat hic pulchrum miſeris ignoſcere, mite
Vidiſſe orantes ſuppliciiq; genus;
Nam quo nobilior, magis eſt placabilis iræ;
Et faciles pœnas mens generoſa capit.

M. Clau

M. Claudii Taciti Dictum.

Sibi bonus aliis malus.

FErvet avaritiâ, miſerâq; cupidine cujus
Pectus, qui & nummos numinis inſtar habet;
Et quiſquis cumulat ſibi flavos æris acervos,
Dum ſua magnificas arca flagellat opes;
Ac inopi non dat, quem ſors rerum indiga verſat,
Exiguum pavido dum petit ore cibum;
Hic odio omnes ſequitur, ſic quilibet illum,
Quod ſeſe pravus diligit ipſe nimis.
Qui ſibimet bonus eſt, malus ille vocetur: amico
Et procul a vero eſt, proximus uſq; ſibi.

M. Annii Floriani Dictum.

Injuria unius minæ multorum.

AUceps dum tendit fallacia retia turdis,
Eſt avibus cunctis anxius ille timor :
Nec non qui mutum venatur arundine piſcem,
Cum tenues hamos abdidit antè cibis ;
Flumina percurrens, plures captare minatur,
Squammigero eſt toti terribiliſq; gregi.
Inſidiis vafris ſic quiſquis fraudat amicum,
Dat ſocio charo fictaq; verba ſuo;
Pluribus inviſa hæc diræ ſpectacula fraudis,
Conſultè prudens & ſibi quiſq; caret.

M. Aurel.

M. Aurelii Probi Dictum.

Pro ſtipe labor.

QUamvis cultor agri convellit vomere terram,
Et redit ad ſolitum ruſticus acer opus;
Atq; inceſſanter fert tædia longa laborum,
Antequam agri gravidi canet ariſta levis;
Attamen hic lætas ſperat decerpere meſſes,
Utq; ſeges plenâ falce reſecta cadat.
Sic quoq; dum volucri findit freta navita claſſe,
Et dat nubiferis lintea plena notis,
Dives opum, plenuſq; redibit aromate grato,
Regia ſtips meritò proq; labore datur.

M. Aurelii Cari Dictum.

Bonus Dux bonus comes.

HOrtandi genus acer habet præcedere ductor
Hoc ſocio miles promptiùs ire parat.
Sic rex, quem penes eſt ſ legũ veneranda poteſtas
Præformans rectum, juſtitiamq; ſuis,
Dum cupit ingenuas didiciſſe fidelitèr artes;
Emollit regnum, nec ſinit eſſe ferum:
Et jam civis erit, rerum, fandiq; peritus,
Virtutemq; pius, juſtitiamq; colet.
Scilicet in populum manant exempla regentis,
Et mores plùs, quàm dux movet ipſe, ducis.

Mar-

Marci Aurelii Numeriani Dictum.

Esto quod audis.

SUbdola qui populo vendit miracula, visus
Præstringens aciem, gesticulator erit:
Sic dum te præstas fictæ virtutis agyrtam,
Et simulas sanctum, præstigiator eris.
Si te fama pium dicit, si labe carentem,
Nullius quòd sit conscia vita mali;
Fac ævum ducas scelerati criminis expers,
Integra sit famæ par tua vita tuæ
Rectè etenim vives, si curas esse quod audis,
Atque nihil malis; sis quod & esse velis.

Mar.

Mar. Aurelii Carini Dictum.

Cedendum multitudini.

PLebs quamvis, quæ ſæva modò hùc, modò (flectitur illuc,
Peſſima ſectatur dum meliora probat;
Iratis ſævitq; animis ignobile vulgus,
Dum civis miſerâ ſeditione furit:
Attamen excipiat facili rex mente querelas,
Audiat & blandè turgida verba precis.
Nam ſic ampullas, & vota ſuperba rogantum
Præteriens, tutò ſceptra quieta tenet.
Rex mulcens populũ, ſuperat; victoria certa eſt,
Si vulgi precibus nulla repulſa datur.

Caii

Caii Valerii Diocletiani Dictum.

Nihil difficilius quam bene regnare.

SIcut, qui lentos referens ad pectora remos,
Navita, ventoso gurgite ducit iter,
Vix aret æquor ubi furit implacabile cœlum;
Sed poscit votis, immemor artis, opem.
Sic ægrè teneat clavum, sua sceptraq; princeps,
Vixq; sine auxilio numinis illa regat;
Impellit populum tempestas quando rebellis,
Cum cives acies, & fera bella, movent.
Æquè etenim tumido populo, turbæq; rebelli,
Difficile est, tumido quàm dare jura mari.

M.

M. Aur. Valerii Maximiani Dictum.

Melius mori, quam ſibi vivere.

NOs patriæ partim, partim debemur amicis:
Alterius magè ſit, qui ſuus eſſe poteſt.
Finditis impreſſo ſolidam qui vomere terram,
Sic vos non vobis fertis aratra boves.
Qui ſtruitis nidos, & plumis ova fovetis,
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Qui detondetis balanti pabula morſu,
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Nectaris aërii qui dulcia regna tenetis,
Sic vos non vobis mellificatis apes.

Fla-

Flavii Valerii Conſtantii Dictum.

Virtus dum patitur, vincit.

SIcut qui æquoreas moderatur vela per undas
Nauta, agili findens turbida claſſe freta;
Dum fortis patitur rapidi diſcrimina ponti,
Cum tumuli in ſpeciem concava ſurgit aqua,
Neptunum vincens, portu ſe condidit alto,
Vexat ubi curvam nulla procella ratem.
Sic quicunq; animum per aperta pericula mittit,
Et didicit forti pectore ferre malum;
Inſignis rediens ſuperato victor ab hoſte,
Infractæ mentis præmia digna feret.

C. Ga-

C. Galerii Valerii Maximiani Dictum.

Tutum ſilentii præmium.

COmpeſcit cautè digito quicunq; labellum;
Linguæ frœnatæ digna trophæa feret:
Addent præſenti maturos vulgus honores,
Prudentem dicent, Harpocratemq; Deum.
Eſte procul lites igitur, mala prælia linguæ,
Et vos, ſuada potens, Arcadiæq; deus.
Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum;
Infauſta hoc, Cicero, te tua fata docent.
Clara adeo eſt virtus præſtare ſilentia dictis
Intempeſtivis; qui ſilet, ille ſapit.

C. Ga-

C. Galerii Valerii Maximini Dictum.

Marcet ſine adverſario virtus.

DUM populi, qui ſunt Latii de ſanguine ducti,
(Quo Latio nullum clarius extat opus)
Belli præbebant diro ſpectacula Pœno,
Pœno, qui Romæ perfidus hoſtis erat;
Romani rerum domini, dominiq; regentum,
Atq; triumphati tum caput orbis erant:
Sed Naſamoniaco victo duce, diruta Roma eſt;
Alter luxuries Annibal ipſe fuit:
Otia vicerunt caput inſuperabile Pœnis,
Romanuſq; ſibi peſſimus hoſtis erat.

Fla.

Fla. Valerii Severi Dictum.

Semen Ecclesiæ sanguis piorum.

IPse novam Phœnix repetit per funera vitam
Succeditq; novus parturiente rogo.
Non aliter laurus Phœbæa gravata resurgit
Altiùs, & læto pondere pressa viget.
Sic Sancti crescunt fælici falce resecti;
Cælo Martyrium fertile messis erit,
Quò magis affligunt Christi agmina sacra tyranni,
Fœcunda hòc florent, seu rosa verna, magis.
Sanguine enim fundata Ecclesia, sanguine crescit,
Ac animum a ferro per fera damna trahit.

M. Au-

M. Aurelii Maxentii Dictum.

Phryx plagis emendatur.

CUI nullâ molles ſordent lanugine vultus,
Subduxit teneram qui ferulæq; manum,
Ingenium cujus liberali eſt arte politum,
Et mens innocuâ dexteritate valet;
Hunc valeas citiùs retinere rubore pudoris
Pulchro, ſervili quàm retinere metu.
Atqui ſerò Phryges ſapient, tardèq; relinquent
Crimina, & in triſti corda pavore tremunt:
Oderunt peccare Phryges formidine pœnæ,
Nec virtus reddit, ſed ſua pœna, bonos.

C. Valerii Liciniani Licini Dictum.

Peſtis Reipublicæ literæ.

NArratur dictum mutato nomine de te,
Anglia ; conveniat quàm benè thema tibi.
Namq; facis dum illos duros perferre labores,
Anguſtam miſerè pauperiemqùe pati,
Qui pollent ſtudiis, doctas ſudantq; per artes,
Quoſqùe ſuo nutrit caſta Minerva ſinu ;
Dicis quòd celebres artes ſunt publica peſtis,
Et triſtis patriæ dira venena tuæ.
Ergò quid dicam ? certè aut Licinius Anglus,
Anglia vel dudum Liciniana fuit.

FINIS.

Liber Secundus,

QUO

SYMBOLA,

SIVE

DICTA,

A Flav. Conſtantino Magno Græcorum Imperatorum primo, uſque ad Carolum Magnum primum Imperatorem Germanicum.

Fl. Valerii Conſtantini Magni Dictum.

Immedicabile vulnus enſe recidendum.

VT medicus fidus, qui doctus in arte me-
(dendi,
Fomentis mulcet vulnera cruda ſuis;
Cum non emplaſtris pellat de corpore virus,
Ægroto mites applicet atq; manus;
Abſcindit doctus tum putrida membra Machaon,
Amputat & fœdam, mortiferamqùe manum.
Sic cum flagitiis ſero medicina paratur,
Aut mala per longas invaluere moras;
Enſe recidendum eſt regni immedicabile vulnus,
Ne pœnas triſtes integra membra luant.

Fl Julii Criſpi Dictum.

Homo non homo iratus.

SIcut qui, ſumpto madefactus membra Lyæo,
Sunt multo & cujus tempora quaſſa mero,
Vino debacchans, animam inter pocula merget,
Deficient turpi linguaq;, menſq;, mero.
Infenſi ſic cum nimiùm, nimiùmq; furentis,
Effera præcipiti corruit ira pede,
Excæcat mentem rabie veſana minaci;
Non ratio, verùm hunc ira ferina movet;
Exuit hic hominem; ratio divina procellis,
Irarumq; atro turbine merſa jacat.

Fl. Clau-

Fl. Claudii Conſtantini Junioris Dictum.

Difficilia quæ pulchra.

Fœmina quæ læto fulget ſplendore venuſtâ,
Fœmineos vincens pulchrior ore choros;
Cui formoſa Venus tremulis colludit ocellis,
Et cujus corpus nulla litura notat;
Vix prece, vix pretio capitur; nec dona rogantũ
Innumera hanc flectunt, nec ſua vota movent,
Sic honor, & virtus pura, & pulcherrima quæq;,
Non facili, ſed ſunt parta labore gravi.
Quod pulchrũ eſt igitùr tenta: labor omia vincit;
Et ſit pro facto ſæpè, quod eſſe poteſt.

Fl. Julii

Fl. Julii Conſtantis.

Dictum.

Creſcente Superbia, fortuna decreſcit.

QUiſquis dives agris, poſitiſquè in fœnore (nummis)
Congeſtos cumulos fertilis æris habet;
Et cupit inſignis præconia mollia famæ,
Cujus titillat pectora dulcis honor;
Vano ſi nimiùm tumefactus nomine gaudet,
Plena & ventoſo corda tumore geret;
Illicò honor ſævo caſu, nummiſq; peribunt,
Cuncta & Lethæis merſa ferentur aquis:
Fortunam reverentèr habe; nam vitrea tota eſt;
Bullaq; honor vana eſt; dum tumet ipſe, perit.

Fl. Ju-

Fl. Julii Conſtantii Dictum.

Patiens ſit principis auris.

UT deus omnipotens, vaſtum qui temperat orbem,
Gemmati cœli fortia ſceptra tenens,
Auribus excipiens, attentis vota precantum,
Incaſſùm puras non ſinit ire preces:
Sic æquus princeps, cui rerum magna poteſtas,
Juſtitiam & vigili qui pietate regit,
Exaudit cives flagranti voce rogantes,
Accipit & querulæ languida verba precis.
Æquum enim cenſit, pateant ut civibus aures;
Cum fiſco populi larga crumena patet.

Mag-

Magnentii Dictum.

Pudor juveni decus, ſeni dedecus.

QUamvis forma nitens, tenerâ quæ fronte ſu-(perbit,
Eximio eſt mollis ſemper in ore decor;
Grata tamen magis eſt veniens è corpore virtus
Ingenuo, & mentis forma venuſta bonæ:
A Venere hæc etenim deterret, miſta pudore,
Cum juvenis mentem fæda libido rapit;
Et fugat a vino, cùm ſunt convivia menſis
Impoſita, & multo tempora quaſſa mero.
Sed pudor hic quãvis juvenili in fronte decorus,
Attamen eſt ſenibus dedecus ipſe pudor.

Decen-

Decentii
Dictum.

Celare dolorem difficile.

HAud benè falſiloquo riſus confingitur ore,
Nec rectè à mœſtis verba jocoſa ſonant.
Non adeò facile eſt animi celare dolorem;
Panditur, & clauſo pectore ſæpe furit.
Ignis enim veluti dum clauſus in ædibus, undè
Vix propriam in ſedem, compede liber, eat,
Excitat iratas majori robore flammas,
Et ſubito ex minimo maximus ignis erit.
Sic dolor augetur, dùm celas, qui ſibi latam
Vel facilè inveniet, vel facit ipſe viam.

Fl. Claudii

Fl. Claudii Juliani Apoſtatæ Dictum.

Pennis ſuis feriri, grave.

GArrula ſicut avis quæ librat in aëre pennas,
Aſſuetum eſt ſylvis innocuumq; genus,
Fert fera tela ſuæ pennæ, celereſq; ſagittas,
Quas promit pharetrâ verſicolore puer.
Sic cui congeries eſt fulvi vaſta metalli,
Et quem magnificæ concomitantur opes,
Sæpiùs occidunt fulgentes æris acervi,
Et patitur telis vulnera facta ſuis.
Hoſte perire grave eſt; ſed fata graviſſima dicas,
Si telis ſemet quis perit hoſte ſuis.

Fl. Jo.

Fl. Joviani Dictum.

Scopus vitæ Chriſtus.

CHriſtus, qui caſto ſtirps edita virginis alvo,
Solaq; progenies ex Deitate patris,
Religioſus erat, ſcelerum non labe notatus,
Egregiæ fidei quem pia cura tenet.
Cum ſumus innocui, ſic nos ſancta agmina (Chriſti,
Vitemus, Chriſtus quæ fugienda putet,
Exemplarq; ſacrum tantà impietate ſequamur,
Ut fœdæ labis nil pia corda gerant.
Te peto, Chriſte, ſcopũ, noſtræ ſunt vota ſagittæ;
Quàm vellem jaculis faucius eſſe meis.

Fl. Valentiniani Dictum.

Princeps ſervator juſtus.

JUppiter ut Soter, æterni rector Olympi,
Qui maria, & terras, & ſua regna quatit,
Unà cum Aſtræâ ſacratas incolit ædes,
Amborum junctim quæ ſimulacra tenent.
Æterni prorex ſic princeps numinis, & qui
Diviſum imperium cum jove magnus habet,
Juſtitiâ populos cuſtodit, pondere & æquo
Librat, ſincerâ ſimplicitate bonus.
Nam ſervare ſuos per faſq; nefaſq; tyranni eſt,
Sed per juſtitiam, principis illud opus.

Fl. Va-

Fl. Valentis
Dictum.

Alienus ab ira, alienus ab juſtitia.

INdulgens genitor, qui chari ſanguinis author;
Informare piè pignora ſancta velit;
Corrumpit natos, minimè ſi crimina punit;
Illos, ſi nullum ſuppliciumq; manet.
Sic judex, dignas cui non reus excitat iras,
Cum ſcelus, & dirum regnat in urbe nefas;
Juſtitiæ vindex non eſt, verum hoſtis honeſtæ
Et fautor, minimè criminis ultor adeſt.
Carcere pejus erit nimiùm ſic mite tribuual,
Et judex longè peſſimus ipſe nocens.

Fl. Gratiani
Dictum.

Non quamdiu, ſed quam bene.

NE miſerè cupias triſtis mala tædia vitæ,
Et numerare ævi tempora longa brevis;
Vincere neve optes Tithonia ſœcula, quandò
Grandævis facies ſplendeat alba pilis:
Sed cogita ut ducas vitam ſine labe notatam,
Quæ tutum ad cœli ſydera monſtrat iter.
Vir bonus ætatis duplicat ſpatium; benè vivas
Fac hodiè, ſera & craſtina vita nimis.
Vivere namq; hoc eſt longævi Neſtoris annos,
Conaris vitâ ſi meliore frui.

Fl. Va-

Fl. Valentiniani Junioris Dictum.

Amicus veterrimus optimus.

Antiqua ut Bacchi ſunt optima munera, miſta
Et rectè eſt veteri ſobria lympha mero;
Juraq; ſunt meliora, docet quæ eccleſia priſca,
Quàm quæ ſparguntur religione novâ:
Optimus eſt longo ſocius ſic junctus amore,
Fidum præſidium, dulce decuſq; meum.
Exploratur enim fulgens ut in ignibus aurum,
Tempore ſic longo tuta probanda fides.
Cognita judicio conſtant, incognita caſu:
Dent ſocium ratio, judiciumque, tibi.

Fl. Magni Maximi.

Dictum.

Nunquam periculum ſine periculo vincitur.

CUjus cordatos armat ſapientia mores
Cœlica, quæ raris invenienda locis,
Diſcrimen vitans, fera quod fortuna minatur,
Infauſti caſus dira pericla timet;
Prudenter ſic dum cautus fugit ipſe ruinam,
Hunc improviſum nulla ruina premet.
Fac caveas igitur caput objectare periclis,
Continuis virtus interit ipſa malis.
Nil niſi diſcrimen majus diſcrimina vincat,
Reddere te tutum ſolaq; damna queant.

Fl. The-

Fl. Theodosii Magni Dictum.

Eripere telum, non dare irato decet.

QUilibet irarum volvens sub pectoro fluctus,
Bile venenosâ percitus atq; gravi,
Est expers animi sani; rationis egentem
Quicunq; aspiciunt, mente carere putant.
Tali animo permitte igitur ne sceptra calenti,
Nec teneat terras, nec ditione mare.
Impetus impatiens etenim malè cuncta ministrat,
Destruit & regnum pronus in arma furor.
Gyrgathus magis hunc, quàm fulgens aula decebit;
Vincla pedes stringant, non diadema caput.

Fl. Arcadii
Dictum.

Summa cadunt ſubito.

UT cum terrifico ſonitu furit igneus æther,
Magnus & a ſummo perſonat axe fragor;
Illicòd ejicitur nemoroſi montis acumen,
Lapſu altæ turres & graviore cadunt.
Sic qui tergeminis tolluntur honoribus, atq;
Captuntur vanæ laudis amore levi,
Gliſcenti invidiâ, ceu fulmine, ſæpe vaporant,
Et ſubitò miſeros dura ruina premit.
Stare diu ſiquidem magnis ſummiſque negatur;
Fortunæq; levis vitrea tota rota eſt.

Fl. Ho-

Fl. Honorii
Dictum.

Male partum, male diſperit.

QUI componit opes per faſqùe, nefaſqùe, (potentes,
Has fures taciti nocte ſilente petant;
Vaſtaqùe congeries fulvi cui fraude paratur
Auri, ac divitiis arca referta malis,
His de opibus miſer heu non gaudet tertius (hæres,
Quæ malè ſunt partæ, diſpereuntq; malè.
Nam lucri injuſti non duratura voluptas,
Ditari properans & citò fiet inops.
Eſt adeò infelix magni cuſtodia cenſus,
Parta malis, ſervat peſſimus atq; metus.

Fl. Theodosii Junioris Dictum.

Tempori parendum.

Sicut nauta audax, qui findens æquora classe,
Longum sudanti remige carpit iter,
Lucida fulgenti speculatur sydera cœlo,
Ventosq; explorans, nubila cuncta notat.
Ingenium sic cui surgit velocius annis,
Præuisa & cautè cuncta pericla fugit,
Assiduo obsérvat labentia tempora motu,
Fræno & cùm fugiunt non remorante dies.
Nam dubii certum est, & inevitabile fatum
Temporis; hoc ratio vincere nulla potest.

Fl. Pla-

Fl. Placidii Valentiniani Dictum.

Omnia mea mecum porto.

DIvitias quiſquis fulvo ſibi congerit auro,
Argenti pondus divitis atq; grave ;
Exanguis ſua cum tumulus contexerit oſſa
Defuncta, auratas ipſe relinquet opes.
Sed qui Theſpiadum eſt decus immortale ſororũ,
Jugera & illuſtris qui Ciceronis habet,
Occumbens morti ſecum ſua cuncta reportat,
Vaſtam magnifici congeriemq; boni ;
Cætera mortis erunt : nil immortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniiq; bonis.

Fl. Mar-

Fl. Marciani
Dictum.

Pax bella potior.

IMplebunt campos bella horrida, bella cruore,
Lassabunt agiles aspera bella viros.
Deficient gentes lacrymosis undiq; bellis,
Quæ mactant morti corpora multa feræ.
Nulla salus bello, pax ergò est optima rerum,
Pax lauru, spoliis innumerisq; prior.
Pace nihil melius, nil pace salubrius orbi
Dat Deus, æterno numine cuncta regens.
Pace suis opibus dives fruiturq; colonus
Arvis, securas itq; reditq; vias.

Fl. Leonis

Fl. Leonis Magni Dictum.

Regis clementia virtus.

UT leo villoſus, qui luſtrans tecta ferarum
Coutulit horrendas ore fremente jubas,
Hoſtem terribilem melius proſtraſſe putabit,
Quàm regalem unguem tingere cæde ferâ:
Sic cui majeſtas cogendi mobile vulgus,
Serviat ut verâ religione deo,
Reſpiciat cives placatâ fronte modeſtos,
Dexter clementi numine ſitque ſuis;
Puniat hic lentè, ſit verò ad præmia velox,
Et doleat, quoties cogitur eſſe ferus.

Fl. Le-

Fl. Leonis Junioris Dictum.

Fide & diffide.

SI tibi ſit ſocius longo devinctus amore,
Et ſit præſidium dulce decuſqùe tibi;
Qui comes, & veri eſt non diſſimulator amoris,
Cujus ſincerus pectora junxit amor.
Huic dentur ſocio, jam tot celebrata per annos,
Sancta fides, pietas, intemeratus amor;
Obſequio intereà nimium ne crede doloſo,
Nec verbis blandis ſpemq;, fidemq; loca.
Fac citò ne credas, multùm citò credere lædit;
Quoſqu; putas fidps, effuge, tutus eris.

Fl. Ze-

Fl. Zenonis Isaurici Dictum.

Malo nodo malus cuneus.

QUorum continuis cruciatibus ossa laborant,
Ægra & tabificus corpora languor habet,
Quem mutare parum valeat longæva vetustas,
Cum morbi tardis invaluere modis :
Aspera tum morbos solùm medicamina pellunt,
Archiatrus duras applicat atq; manus.
Non succis sanatur enim immedicabile membrū,
Sed medicam solo vulnere sentit opem ;
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur ;
Ulcera tollunt̃r non leviore manu.

Fl. Ana-

Fl. Anaſtaſii Dicori Dictum.

Mellitum venenum blanda oratio.

QUI vanos vendit fumos, & dulcia verba,
Mollia & obſequio carmina plena levi,
Fert varios caſus, mille & diſcrimina rerum,
Et regi facili dira pericla creat.
Os etenim fallax, aureſq; juvantia verba,
Et luſus falſi, blanditiæq; leves,
Pocula melliti ſunt formidanda veneni,
Virus ſub dulci melleq; triſte latet.
Fiſtula dulce canit, volucrem ſed decipit illa:
Quod tegitur, majus creditur eſſe malum.

Fl. An-

Fl. Ancii Juſtini Dictum.

Quod pudet, hoc pigeat.

QUI ſcelere eſt diro ante alios immanior (omnes,
Quæ feciſſe juvat, facta referre pudet;
Carnifices habet occultos conſcientia mordens,
Verbera quàm noceant, quæ magis ipſa nocet.
Nam quodcunq; malo exemplo cõmittitur, ipſi
Authori ſceleris diſplicet illud opus:
Hæc prima eſt vindicta ſevera ac ultio, quòd ſe
A pœnâ eximitur judice nemo reus.
Pœna etenim eſt præſens ſemper mens conſcia (turpe
Si quid agas igitur, te ſine teſte time.

Fl. An-

Fl. Anicii Juſtiniani Dictum.

Summum jus ſumma injuria.

OPtimus eſt judex, qui vultu ac enſe ſeverus,
Terret ſolliciti pectora mœſta rei;
Attamen haud nimii ſit ſervantiſſimus æqui,
Nec rigidè juſtus difficiliſq; nimis.
Namq; apices priſcæ non ſunt moderamina legis,
Nec præſcripta ferant ſanctaq; jura viris;
Sed res & ſenſus ipſi ſunt vincula legum;
Sola hæc, non voces, judicis urna quatit;
Væ certè, juris, ſi damnant puncta, nocenti;
Ac ubi mors non eſt, ſi jugulabit apex.

Fl. Juſti-

Fl. Juſtini Junioris Dictum.

Libertas res inæſtimabilis.

VEre novo modulatur avis, quæ carmine clau-
(ſo
Frigoris hiberni carcere muta fuit:
Claudatur ſeptis, haud cantibus aëra mulcet,
Sed luctu & tenebris pectora mœſta gerit.
Donatus quiſquis ſic libertate beatâ,
Feſtivâ carpit gaudia mente nova;
At quandò in vinclis, cruciant tormenta doloris,
Et premit immiti funere ſæva dies.
Libertas adèo eſt pretio pretioſior omni;
Hanc modò dent nobis civica bella, ſat eſt.

Tyberii Conſtantini Dictum.

Stips pauperum theſaurus divitum.

QUi non divitias abdit nigrantibus antris,
Et cujus nullas arca negavit opes ;
Dans inopi, duris urget quem rebus egeſtas,
Ac miſerè parva qui ſtipis æra rogat,
Æternas gazas ſecurâ poſſidet arcâ ;
Et ſortem, & fœnus, cui dabit ipſe deus.
Divitias ubi non avellat latro rapinis,
Ignis ubi flammâ nec rutilante cremet.
Ergò dives vis ? inopi da : ſic tibi ſemper
Fiſcus erit cœlum, quæſtor & ipſe deus.

Fl. Ti-

Fl. Tiberii Mauricii Dictum.

Quod timidum idem crudele.

CUi timor it totos gelido ſudore per artus,
Et torpet ſubito lingua retenta metu ;
Sanguinis hic cupidus, multâ eſt & cæde cruẽtus,
Crudelem quem non mitigat ulla dies.
Sic mulier, cujus naturâ concutit horror
Oſſa, & mens trepido palpitat ægra metu ;
Syrtibus eſt ſævis, Syllâ & crudelior ipſâ
Crudeli, nulla eſt non meliorq; fera :
Hæc timet, ac odit ; fit ſævior ipſa timore,
Solum &, quem metuit, quæq; periſſe cupit.

Fl. Focæ

Dictum.

Fortunam citius reperias quam retineas.

UT Luna, instabili variat quæ cornua motu
Noctivaga, obscuris atq; laborat equis,
Non eadem semper fratris de lumine splendet,
Nec paria æquali cornua luce gerit.
Ridet quæ vultu sic sors incerta sereno,
Et ducit placido candida vela salo;
Non rarò hæc etenim fatis urgebit iniquis,
Sæpius & miserum, quem fovet, ipsa facit.
Quã fortuna levis levior benè fœmina dicta est,
Quæ solùm constans in levitare sua est.

Fl. He-

Fl. Heraclii
Dictum.

A deo victoria.

QUanquam erit in campis miles numeroſus (apertis,
Et ſunt ſecuro caſtra locata loco ;
Magnanimiq; duces acies in prælia cogunt,
Tentantes forti dira pericla manu :
Atamen inde pedem nullâ cum laude reflectent,
Fronde nec egregiâ tempora cincta gerent,
Numen ni favet, illorumq; laboribus adſit
Auſpitiis, præſens auxiliumq; ferat :
Quo duce, conſcripti venient ad claſſica venti,
Et tuus æther erit miles, & unda, tuus.

Fl. Heraclii Conſtantini Dictum.

Inſania læta voluptas.

UT mentes ſanas hominum dementia dira
In clades mæſtas, ſævaq; bella, trahit;
Sic blandimentum, diffundens gaudia mentis
Cæcæ, lætitiæ dat vaga ſigna novæ;
Indomitos geſtat violento in corde furores,
Qui rabie dirâ perdere cuncta parant:
Inducunt noſtrum ſic gaudia ſæpe dolorem,
Lætitiæ conſtans & comes ipſe dolor.
Sperne voluptates igitur; nocet empta voluptas
Mœſtitiâ, pretium mens, ratioq; datur.

Fl. He-

Fl. Heraclionis Dictum.

Mali principii malus exitus.

SI, quibus eſt æquum pia juſſa faceſcere, ſummi
Auſcultare ſacris imperiiſq; ducis,
Invadunt illum clipeis, ac ære, rebelles,
Horrida ſanguineâ bella moventq; manu;
Cum regem vincunt, deſertoreſq; ſuperbi
Oſtentant belli fortia geſta ſui,
Communi primùm privabunt aere, deinde
Tollent crudeli corpora victa nece.
Sic clades diræ peraguntur cladibus, atrox
Principiiſq; feris exitus eſſe ſolet.

Fl. Conſtantis ſecundi Dictum.

Parendum neceſſitati.

QUandoquidē occulti miranda potentia fati eſt,
Et fixæ leges, quas ſuperare nequis,
Legibus his certè juſtis parere neceſſe eſt,
Reddere decretis obſequiumq; pium.
Cæca igitùr quò fata trahunt, retrahuntq; ſequa-
(mur;
A pedibus rapidis eſt vaga nullā fuga.
Si te ſors ducit, patientèr ferto; ſed ægro
Si malè fers animo, te malè fata trahent;
Invitos cogunt ſiquidem, ducuntq; volentes:
Averſos caſus excipe, victor eris.

Fl. Con-

Fl. Conſtantini Quarti Pogonati Dictum.

Quod cito fit, cito perit.

UT flos, in viridi mollis qui gramine vernans
Fœcundum ſuavi mulcet odore ſolum,
Tam ſubitò perit in medias quã edducitur auras,
Et pubeſcentem juncta ſenecta premit;
Dum tardè creſcens ſuibus gratiſſima quercus,
Quæ latè tendit brachia rara ſua,
Longæve numerat Tythonia tempora vitæ,
Et fælix ævum prorogat ipſa ſuum:
Haud ſecus ingenium præcox non laude perenne eſt,
Sed ſubito exoritur, prepropereq; perit.

Fl. Juſti-

Fl. Juſtiniani ſecundi Dictum.

Multi nimium, nemo ſatis.

UT Phrygiæ rex, cui Stygiâ captantur in undâ
Poma, atq; in mediis quæritur humor aquis,
Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Perditus; hoc illi garrula lingua dedit.
Sic qui divitiis; permulto ſplendet & auro,
Quo non majores poſſidet alter opes;
Huic ardor nummi, quantum ipſa pecunia, creſcit,
Indiget hic, opibus obruiturq; ſuis;
Nec fugat ille famem, minime ſatiatus edendo;
Et quò plùs potæ, plùs ſitiuntur opes.

Fl. Leo-

Fl. Leonis Quarti Dictum.

Pulchra eſt concordia cordis et oris.

QUando inter gentes floret concordia, pulchrum eſt,
Tranquillè populos paxq; togata regit;
Eſt itidem tædas inter pax pulchra jugales,
Atq; inter caſti jura marita tori;
At certè fælix & præſtantiſſima pax eſt,
Quando conveniunt molle cor, oſq; nitens,
Cumq; pares animus ſub fido pectore volvit,
Quas os effundit ſimplice voce ſonos:
Quâ ſine pace inter gentes concordia nulla eſt;
Nec regnum teneant, nec ſua vincla thorum.

Fl. Ti-

Fl. Tiberii Abſimari Dictum.

Nimium boni nihil mali.

CUr querulo haud corpus, nec mens vacat ægra dolore
Erıat per queſtus cur ſine voce dolor ?
Quod miſerum triſtis fortuna tenaciter urget,
Et te quòd cunctis ſors premit atra malis ?
Cultori albeſcit non ſemper meſſis ariſtis,
Nec fuſo autumno ſemper amictus ager :
Navita nec ſemper redit atris dives ab Indis,
Mergitur at rapido puppis adunca noto.
Infœlix nimiùm eſt, omni qui ex parte beatus;
Et miſerum cui nil contigit, ille miſer.

Fl. Phi-

Fl. Philippici Bardanis Dictum.

Fortuna cito repoſcit quæ dedit.

QUem deus in celſâ juſtus modò ſede locavit,
Et geſſit forti ſceptra tremenda manu,
Vincitur infœlix, mox ſervitioq; premetur,
Carceris hunc cæci vincula ſæva tenent.
Paſſibus incertis ſors imperioſa vagatur,
Et ſemper fallax inſtabiliſq; manet;
Et quæ nunc ridet vultu fortuna ſereno,
Hæc genus humanum mox oneroſa premit.
Sic rapiet, quodcunq; libet fortuna, dabitq;
Vixq; tuum dicas, quod facit eſſe tuum.

Fl. Ana-

Fl. Anaſtatii ſecundi Dictum.

Si non das accipit ultro.

IMperii quiſquis fuſas moderatur habenas,
Præcingit fulgens cum diadema caput,
Si præbet legum placidarum munera genti,
Dans populis leges, juraq; grata, ſuis;
Continùe ſimilem legum gens poſcit amorem,
Harum par petitur gratia, parq; fides;
Quæ ſi rex minime donat, gens accipit ultrò,
Eripiet, ſi non munera ſponte dabit;
Quiſq; potens terret, cogitq; rogando; licebit
Cui nimium, majus, quàm licet, ille petit.

Fl. Theo-

Fl. Theodosii tertii Dictum.

Patientia remedium malorum.

URgent solliciti cum te tormenta doloris,
Et cura erodens cum rabiosa premit;
Conficiunt vel si te lenti semina morbi,
Totaq, tabificus corpora languor habet;
Illos perpetuò patienti mente dolores
Sufferto, hoc solum sit medicina tibi.
Optima vincendi mos est tolerantia; vincit,
Qui patitur forti pectore cuncta mala.
Posse pati ut facile est etenim, sic vincere posse:
Vis fælix igitur vincere? disce pati.

Fl. Leonis

Fl. Leonis quinti Dictum.

Occulti inimici peſsimi.

MArte minas diras jacit in te quiſquis aperto
Edit & impavidos ore feroce ſonos;
Effugias promptè violenti ſigna furoris,
Ac iram notam, quæ truce bile tumet:
Cum vero occultas parat hic intexere fraudes,
Quæ ſtudii ſpecie fata, necemq, ferunt;
Non facilè inſidias liceat vitare malignas,
Et diros, minimè qui patuere, dolos.
Ignoti fallunt laquei; non decipit auceps
Notus, quem volucris dum videt, ipſe cavet.

Fl. Con-

Fl. Conſtantini quinti Copronymi Dictum.

Quid ſine pectore corpus?

Ut membris anima infundit divina vigorem,
Quæ manet atroci non peritura nece;
Quâ ſine ſunt gelidi, ſine ſanguine, corporis artus,
Interit illius candidus atq; decor.
Sic princeps regno juſtus pars optima vitæ eſt,
Et recreat cives, vivificatq; ſuos.
Sic quoq; cui deſit prudentia ſola, ſepulchrum
Eſt ſibi dum vivit, triſteq; funus adeſt;
Et jacet hic inter vivos, ſine pectore corpus
Exanimum, & ſpirans ipſe cadaver homo eſt.

Fl. Leonis ſexti Dictum.

Quo fortuna ſi non uteris.

QUò ſtructæ tibi menſæ epulis onerantur o-
(pimis,
Bacchi Nectarëis muneribuſq; ſacri,
Si non ingluviem dapibus, vinoq; jocoſo
Imples, ſi miſeram non ſaturaſq; famem?
Quid tibi theſauri, quorum ſi non datur uſus,
Quamquam opibus ſplendes, ſemper egenus
(eris:
Ergo deus vento tibi dat quamcunq; ſecundo
Horam, tu promptè mente volente cape,
Et quocunq; loco fueris, te vivere dicas
Fac hodiè: ſera eſt craſtina vita nimis.

Fl. Con-

Fl. Conſtantini ſexti Dictum.

Mulieri imperare res deſperata.

VIribus eſt audax quamvis genus acre leonũ,
Cui diram rabiem ſuadet acerba fames;
Attamen obſervant cuſtodum juſſa paratè,
Imperium domini perficiuntq; ſui:
Tygribus eſt mulier verùm quæ ſævior atris;
Atq; leâ dirâ cum rotat ore canes,
Imperii minimè ſtrictis parebit habenis,
Mittere non illam ſubjuga veſtra potes.
Vivam ergò cœlebs; me ducet fœmina nulla,
Uxoriq; miſer nubere nolo meæ.

Irenes Auguſtæ Dictum.

Vive ut vivas.

LLongævamne cupis vitæ contingere metam,
Neſtoris & cani ſecla videre tria?
Carpere vitalem fauſtis ſucceſſibus auram
Optas, & placido ducere vela ſalo?
Fac ſpatium vitæ ducas virtute repletum:
Nam virtus neſcit, ſanctaq; vita mori;
Hæc tibi dant ſenium juveni, vitamq; perennem,
Quæ dirâ fati non reſecanda manu eſt,
Hac frueris dum luce igitur, virtute fruaris;
Fatales virtus effugit una rogos.

Liber Tertius,

QUO

SYMBOLA,

SIVE

DICTA,

A Carolo Magno primo Imperatore Germanico, usque ad Ferdinandum secundum Cæsarem Austriacum.

Caroli Magni
Dictum.

Christus regnat, vincit, triumphat.

AUsoniæ populi referentes clara trophœa,
Ostentant belli gesta superba sui;
Sic quoq; Turcus erat spoliis insignis opimis,
Eximiæ gentes sub ditione tenens:
Sed Christus totum diffundit signa per orbem,
Invictâ capiens oppida cuncta manu;
Atq; gerens laurum superatis gentibus, ipse
Victor Io magnâ voce triumphe canit.
Nam sicut deus est regũ rex, sic quoq; Christus;
Divisum imperium cum Patre Natus habet.

Ludovici Pii
Dictum.

Omnium rerum viciſſitudo.

HEſperias ſimulac Phœbus deſcēdit in undas,
Advenit obſcuræ noctis imago nigra;
Poſt umbras itidem noctis ſe gurgite tollit
Sol, & Lucifero prævenit ille dies:
Non aliter glacialis hyems cum flumina nexit,
Præſtò eſt ver decorans floribus arva novis;
Poſt ver autumnus gravidis ſuccedit ariſtis,
Hunc fugat horrendo turbida bruma gelu.
Sic ſibi nil firmum cuiquam ſpondere licebit,
Et præſens ſtabilem vix habet hora fidem.

Lotha-

Lotharii primi Dictum.

Vbi mel ibi fel.

SIcut apis, vernos quæ flores ingerit alveo,
Compleat ut puro ſedula melle favos,
Hyblæum nectar dum fingit, pungit; amaris
Nec ſine aculeolis dulcia melia parat.
Sic quem durus amor crudeli tabe peredit,
Vulnerat & rapidum pectus amore fero;
Nunc lætis vitam miſcet, nunc triſtibus idem:
Omnis enim flagrans eſt γλυκύπικρον amor,
Qui nec habet fletus, ſua nec mera gaudia; cujus
Vel riſus lachrimat, mel quoq; triſte ſapit.

Ludo-

Ludovici ſecundi Dictum.

Par ſit fortuna labori.

DUm vertit glebas curvi moderator aratri,
Ruraq; cornigero ſcindit opima bove,
Multa feret facietq; vigil, deſudat, & alget,
Hic frigus, torrens perpetiturq; jubar.
Si tamen haud par ſit fortuna laboribus ægris,
Ni faveat cœptis, auxiliumve ferat;
Autumnus ſterilis lætas non porriget uvas,
Arida nec reddet ſemina jacta ſeges.
Ergo labor ducat, te ſors comitetur euntem;
Fauſtum iter eſt, cum dux ille, vel illa comes!

Caroli

Caroli ſecundi Calvi Dictum.

Iuſtitiam injuſtitia parit.

AUfert qui fractâ nummos fur callidus arcâ,
Et cumulat raptas ſanguinolentus opes,
Efficit, ut leges ſtatuantur, ſanctaq; jura;
Ut furtis dignum ſuppliciumq; detur.
Sic quando obſcuro graſſantur nomine morbi,
Et cum tabificus corpora languor habet,
Inveniet medicas artes, (morientibus una
Quæ ſpes) & doctâ pocula miſta manu.
Quàm pia cura deũ! proſunt vel peſſima facta;
Languores ſanant, morbus & ipſe juvat.

Car-

Caroli tertii Craſsi Dictum.

Os garrulum intricat omnia.

OMnia confundit ſicut vis turbinis atrox,
Atq; ſuo nigro vortice cuncta rapit,
Utq; ignis cùm per totas extenditur urbes;
Divitiæ, ac uno tecta cremata rogo:
Multiloquis nugis ſic miſcens omnia longuæ
Stultitia effrænis, maxima damna parit;
Publica regnorum turbat moderamina; leges
Hic ſua traxerunt vulnera, templa ſua.
Non ſic atra lues, non ſic incendia vaſtant,
Quam linguæ peſtis, flammaq; dira vorat.

Anul-

Anulphi
Dictum.

Facilis descensus averni.

CUm fluvio facile est undas pulsare lacertis,
Jactare & liquido brachia lenta mari;
Flumina sed minimè tranes, nec vincere possis,
Si contrà, labans quàm rapit unda, nates.
Non aliter Stygii facilis descensus averni,
Perpetuò cujus janua nigra patet;
Sed revocare gradum, ditisq; relinquere sedes,
Infernasq; domos; hic labor, illud opus.
Impietas promptè, virtus sudore paratur;
Hoc tibi Pythagoræ littera curva docet.

Lu-

Ludovici tertii Dictum.

Multorum manus, paucorum consilium.

ÆTernam meruit qui per fera prælia laudem,
Horrida sanguineâ bella movetq; manu,
Agmina conscribat, numeret stipendia fidus;
Funesta in tuto castra locetq; loco:
Sed spes consilio ponatur prima sagaci,
A monitis pendent prœlia sæpe bonis.
Consilium unius prudens multa agmina vincit,
Cujus vis, plùs puàm barbara turba, valet.
Sic Archimedes unus præstantior omni
Milite, sola hujus mens numerosa cohors.

Con-

Conradi primi Dictum.

Fortuna cum blanditur fallit.

FIstula dulce canit, volucres dũ decipit auceps,
Et fundit ſuaves tibia blanda modos ;
Dum blanditur avi, laqueo, viſcoq; tenaci
Implicat, infido carmine damna parans.
Sic quando vultu ridet fortuna ſereno
Diſpergens linguâ ſubdola verba levi ;
Illa dolos, dirumq; nefas in pectore verſat,
Ut pinguis ſtultas decipit eſca feras.
Dat ſiquidem, quodcunq; libet, fortuna, rapitq;
Rhetor & eſt ſubitò, qui modo Conſul erat.

Hen-

Henrici primi Aucupis Dictum.

Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox.

QUandoquidem donis largis onerantur ho-
Ingens quos meritò concomitatur honos ; (neſti,
Et malefactores pœnis urgentur acerbis,
Supplicium paſſi, quod meruere, grave :
Ad pœnas ſegnis ſit rex, ad præmia velox,
Et doleat quoties cogitur eſſe ferus :
Munere ſic etenim quamvis vincatur in omni,
Hunc ſimilem reddit gratia ſola deo.
Quâ virtute ſuo ſæclo, mundoq; quietem
Reddidit Auguſtus, numen & aſtra ſibi.

Otho-

Othonis Magni Dictum.

Aut mors, aut vita decora.

IRruis horrendos quandò moriturus in hoſtes;
Qui triſtes acies, diraq; bella movent,
Ne fugias diverſa metu per littora paſſim,
Nec des præcipiti maſcula terga fugæ:
Fortia ſed decora vel ſacrâ tempora lauru,
Hoſtibus e victis clara trophæa ferens;
Fortiter aut vitam multo cum ſanguine funde,
Cum te ſub leges mors vocet atra ſuas.
Nempe mori ſatius, vitæ quam ferre pudorem;
Morte omni eſt pejor mortis & ipſa fuga.

Othonis ſecundi Dictum.

Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum.

ILle uti, qui jaculans prudenter ſpicula, ſalvo
Nato ſerpentem figere doctus erat:
Sic judex prudens, qui vultu, ac enſe ſeverus,
Et cui ſunt dubii credita jura fori,
Cum vitiis tentat rigidi certamina Martis,
Supplicium culpis, pax datur alma viris:
Hic hominē bonus haud odit; ſolummodo pravis
Aſt odium vitiis exitiale datur.
Parcere perſonis licuit, ſemperq; licebit;
Dicere de vitiis jus pietaſq; jubent.

Othonis

Othonis tertii Dictum.

Vnita virtus valet.

Æstas cùm ſcindit Phœbeis ignibus agros,
Campo ac uſta Ceres multicolore nitet,
Umbriferis rumpens de nubibus unus & alter
Imber cæruleus, non loca ſicca rigat;
Semina ſed tellus multo cum fœnore reddit,
Continuum cœlo cum ruit agmen aquæ.
Sic valeat numerus, vincant junctæq; Phalanges,
Quandò Mars toto bellicus orbe furit.
Hoc docuit veſtrum prudens emblema, Scylure,
Singula franguntur ſpicula, juncta manent.

Henrici ſecundi Claudi Dictum.

Nequid minis.

ESt facile ingluviem dapibus vinoq; replere,
Eſt nimiùm multo pellere melle famem,
Atq; gravẽ poteris crapulam induxiſſe placentis
Melliſluæ ſaturant nectareæq; dapes:
Sic quoq; qui lætos gaudenti pectore vultus
Induit, hunc nimius vel jocus ipſe necat.
Gaudia principium nam ſunt plerumq; doloris,
Ut curæq; graves, immoderata nocent.
Menſuram ſerva, modus eſt pulcherrima virtus:
Quiſquis plùs minio non ſapit, ille ſapit.

Con-

Conradi ſecundi Dictum.

Omnium mores, tuos imprimis obſervato.

EXtera gens ſicut, quam narrat fabula trita
In thorace oculi lumen habere ſui,
Seſe conſpiciunt oculis, vultuq; retorto,
Ac in corde ſuo lumina fixa tenent:
Non modò ſic prudens aliorum labe carentes
Obſervat mores, aſpicit atq; malos;
Cenſor at ipſe ſui totum ſe explorat ad unguem,
Poſticum ſaccum præcipuèq; videt.
Sed qui tantùm alios novit, non ſe benè; nemo eſt
Tam propè, tãq; procul, fit peregreq; domi.

Henrici tertii Nigri Dictum.

Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

Cùm minimis cauſis diſcordia maxima creſcens
Armavit reges in ſua damna feros;
Si quandò Martis certamina dira minantes,
Sanguineas acies, ſævaq; bella movent;
Qui linguæ rixas, & prœlia finit amara,
Et dirimit placidâ jurgia pace mala;
Filius hic cœli, pacis fabricator habetur,
Conſenſus almi providus atq; parens.
O utinam nobis talis moderator adeſſet;
Anglis pacifici numinis inſtar erit.

Henrici

Henrici quarti Dictum.

Multi multa ſciunt, ſe autem nemo.

HIc quærit certâ quâ ſydera lege mearent,
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit;
Et callere velit docti modulamina cantus,
Mirificis animos apta movere modis:
Alter depellit morbos medicamine docto,
Atq; dat expertâ pocula miſta manu:
Sed novit qui damna ſuæ, qui commoda vitæ,
Is, dici prudens cur mereatur, habet.
Cœlum ergò & terras vis noſcere? noſce teipſũ:
Quilibet eſt vivens nam microcoſmus homo.

Henrici quinti Dictum.

Mortem optare malum; timere, pejus.

SI te circumstat densorum turba malorum,
Casibus & duris sors inimica premit;
Quandò exerceris crudelibus undiq; fatis,
Sorteq; quæ certam nescit habere domum:
Ne miserè cupias duros finire labores,
Neve optes nigro claudere fata die;
Nec timeas mortem crudeli dente minacem,
Cum tibi pallentes injicit illa manus.
Sors premit atra malis? optes tum vivere; solus
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Lotha-

Lotharii ſecundi Dictum.

Audi alteram partem.

JUrgia ab exiguis quandò creſcentia cauſis,
Accipiunt vires per malefacta ſuas ;
Judex cordatus dirimens diſcordia verba,
Et terrens pavidi pectora mœſta rei ;
Damnat decreto nullius facta ſevero ;
Reſq; eſt arbitrio non dirimenda fori,
Arbiter audivit donec partem æquus utramq;
Dicere quidq; actor, quid reus ipſe poteſt.
Nam niſi rixantes judex audiverit ambos,
Quanquã æquũ ſtatuat, non tamen æquus erit.

Con-

Conradi tertii Dictum.

Pauca cum aliis, tecum multa.

NOn patulæ ſervant arcana fidelitèr aures,
Et vox miſſa ſemel non revocanda volat:
Comprime vocem igitur, digitoq; ſilentia ſuade,
De quoq; & quicquid, ſæpe caveto, refers.
Nam tibi ſit quamvis in duris rebus amicus,
Cujus fida tenax pectora junxit amor;
Noxia ne tamen huic tradas ſecreta ſodali:
Nam non deſtituet garrulus ora ſonus;
Commiſſumve tegat, cùm vino tortus & irâ eſt:
Ergo quid arcanum ſi cupis, ipſe tace.

Fride-

Friderici primi Ænobasbi Dictum.

Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare.

SAnguineo fundens mentitos ore dolores,
Perdere feſtinat te Crocodilus atrox;
Non aliter mulier dicenda tacendaq; callens,
Mœſtitiam, & lachrimas diſſimulare parat;
Ut miſero leges, & jura ſuperba marito
Det, frænis duris imperioq; trahens.
Sicut enim princeps, cujus frons cincta coranâ
Conſpicuâ eſt, populos diſſimulando regit;
Mente dolos verſuta gerit ſic fœmina vafros;
Illi ut vir nubat, ducat ut illa virum.

Henrico

Henrici ſexti
Dictum.

Qui neſcit tacere, neſcit loqui.

QUàm benè progenies Trojano ſanguine nata,
Quæ vaſto ſummum geſſit in orbe locum,
Mercurium eloquii fecit, mentiſq; parentem,
Qui facundus agit cœlica juſſa deus;
Quàm benè & Harpochratem gens illa ut numen adorat,
Murmura qui arcanâ voce manuq; premit;
Scit quicunq; etenim præſtare ſilentia dictis,
Compeſcens digito muta labella ſuo;
Numinis hic æquè ſacris dignatur, & arâ,
Ac Suadela potens, Arcadiæq; deus.

Phi-

Philippi tertii Dictum.

Satius recurrere quam male currere.

Cùm malè ſcribendo peccavit dextera, cujus
Non recti officium noxia penna facit;
Præſtat ceratas multò delere tabellas,
Unum peccatum ſufficiatq; tibi;
Quàm dare ſcripturæ pravæ finemq; modumq;
Pejora & cœptis addere ſumma malis.
Tramite ſic recto ſi fortè viator aberrat,
Quò magis ille fugit, devius ille magis.
Aggrediens igitur vitium, fac ipſe recurras;
Aut certè in primo limine ſiſte pedem.

Othonis

Othonis quarti Dictum.

Anſer ſtrepit inter olores.

QUi rabiem nunquàm ſævi poſuere leones,
Compeſcunt placidè, conveniuntq; ſimul;
Et qui luxuriat lætis tener agnus in agris,
Exultat, ſocios per juga longa ſequens.
Dant itidem ſonitum per ſtagna loquacia cygni,
Et reſonant ſuavi guttere dulce melos;
Vilis at argutos inter ſtrepit anſer olores,
Carminibus cygni conſonat ille malè.
Artibus inſtructum ſic doctus diligit; optet
Sic ſimiles ſimilem, par ſibi quiſq; parem.

Fride-

Friderici ſecundi Dictum.

Minarum ſtrepitus, aſinorum crepitus.

UT cùm terrifico ſonitu cœlum omne cietur,
Magnus & à diro perſonat igne fragor,
Percellit molles pueros formidine ſævâ,
Et ſua ſollicitus pectora terror habet.
Sic tumido quicunq; minas effundit ab ore;
Edit & impavidos voce tonante ſonos,
Stultorum trepidas mentes horroribus implet,
Attonituſq; timor frigida membra quatit.
Sperne minas; bombarda ſono non dejicit altos
Muros, ſed Martis pulſus ab ære globus.

Ru-

Rudolphi primi Dictum.

Melius bene imperare, quam imperium ampliare.

NUllum numen abeſt ſi ſit prudentia; ſola
Omnipotens homines, ſola deoſq; regit:
Temperat audacem navem prudentia nautæ,
Quandò ferè tegitur naufraga puppis aquâ:
Non aliter ſolus regni prudentia cuſtos,
Quæ magni imperii frœna tenere docet.
Nã docet hæc populis potius benè cõdere leges,
Quàm malè regna ſuis amplificata dare:
Latiùs hac ſiquidẽ juſtus domimabere princeps,
Quàm ſi ſervirent Indus uterq; tibi.

Adol-

Adolphi
Dictum.

Animus eſt qui divites facit.

CUm rex Æmathia Pellæâ natus in urbe;
(Anguſtus miſero cui nimis orbis erat)
Inſpexit quendam parvæ ſtipis æra rogantem;
Cui benè ſuffecit ſtramine tecta caſa ;
Dicebat, pauper quanto fœlicior hic eſt,
Cujus de cannis ſtraminibuſq; domus ;
Æſtuat infœlix quàm qui arcto limite mundi,
Quem faſtus cruciant ambitioq; mala.
Dives enim eſt, poſcit ; qui quod ſatis, & nihil (optat
Amplius ; & ſolus pauper avarus erit.

Alberti primi
Dictum.

Quod optimum, idem jucundiſſimum.

AOniis quiſquis cupit invigilare Camœnis,
Quem docto nutrit caſta Minerva ſinu;
Quamvis pervigilis fert tædia longa laboris,
Perpetitur curas à teneriſq; graves;
Huic tamen eſt hilaris virtus cum pondere: vitæ
Nam per virtutem ſemita ſola patet.
O virtus ſplendore micans formoſa venuſto,
Cuiq; roſis teneris labra decora rubent;
Muſarum, Phœbiq; potens tua forma cupido eſt;
Pluſq; in ſe Veneris, quàm Venus ipſa tenet.

Hen-

Henrici ſeptimi Dictum.

Calix vitæ, calix mortis.

VT qui pervigilans luſtrat ſua rura colonus,
Et ſolidam preſſo vomere findit humum;
Tædia multa ferens, pinguem ſibi cõparat annũ,
Fit fœcunda ſeges culta labore gravi.
Sic quicunq; cupit ſuper ardua ſydera cœli
Scandere, & aſtriferi regna ſuperna poli;
Hunc triſtes agitent caſus, hunc ſors premat atra,
Obruat & mœſtum ſæva procella caput.
Crux etenim frontem ſuperum diademate cingit,
Atq; calix vitæ pocula mortis erunt.

Friderici Auſtriaci Pulchri Dictum.

Morte beata nil beatius.

INteger ætatis qui complet tempora, ſanctas
Vitaq; protraxit religioſa moras;
Perficiet juſtos fœlici morte labores,
Abſolvetq; pios hora beata dies.
Mors cupis ergò cadat tibi fœlix? vivere diſce;
Ut fœlix vivas, diſce ſubire necem:
Sit benè vivendi & moriendi hæc unica norma,
Vitam duce pius, quòd moriare pius.
Sic tibi ſemper eat lux fœlix, fauſtaq; vita;
Mors erit & pallens ſic quoq; fauſta tibi.

Ludo-

Ludovici quarti Dictum.

Sola bona, quæ honeſta.

DIvitias alius fulvo ſibi congerit auro,
Et fortunatus dicitur, atq; bonus:
Excellens alius formâ, viridiq; juventâ,
Pulchrâ appellatur ſimplicitate bonus:
Sed cujus virtus fortunæ cedere neſcit,
Ac qui ſincerè jus & honeſta colit;
Hic ſummè vereq; bonus laudatur ab omni;
Et quodcunq; facit, fama loquetur opus;
Quod nequit ira Jovis, nec edax abolere vetuſtas:
Nam ſors non mentis dat, neq; dona rapit.

Caroli quarti Dictum.

Optimum aliena insania frui.

CUm bona lurconem multo quæsita labore,
Remq; suam video dilapidare gulâ,
Urget quem duris in rebus tristis egestas,
Quærentem exiguum voce tremente cibum;
Illius ærumnæ me dulcibus artibus ornant,
Et nocumenta ejus sunt documenta mihi.
Fœlices etenim misero quicunq; dolore
Alterius discunt posse carere suo;
His reddit sanas aliorum insania mentes:
Sic fruimur rabie, sic furor ipse docet.

Wen-

Wenceslai primi
Dictum.

Morosophi moriones pessimi.

QUem, fera vis animi, præceps demẽtia cepit,
Et cujus misero corda furore tument,
Se putat imperii moderari frœna superba,
Dictare & populis jura colenda sacra.
Sic quandò proprio superatur amore philautus,
Ingenii formam deperit ipse sui;
Dogmate seq; putat cunctos præstare sagaci;
Communis licèt hic sit rationis inops.
Morio morosophus semper sic pessimus; atq;
Plùs justo quisquis non sapit, ille sapit.

Ruperti Palatini
Dictum.

Misericordia fortunam, non causam spectat.

QUisquis jactatur, laceratâ classe, profundo;
Cùm tabulæ ventis, cùm feriuntur aquis;
Et cujus tectum consumitur igne voraci,
Multa foris patiens, damnaq; multa domi:
Jupiter iratus pœnis licèt urget acerbis,
Affligit justè supplicioq; gravi;
Attamen adversi casus miserescimus ultrò,
Cum variis miserum sors premit atra malis.
Non etenim mores, hominem spectamus egentẽ;
Causa parùm, sed nos sors miseranda movet.

Sigis-

Sigismundi
Dictum.

Sic cedunt munera fatis.

FOrtunæ geſtus videor ſpectâſſe ſuperbos,
Cum ſolio illuſtri marmoreoq; ſedet:
Dextra tenet ſceptrum nitido diademate fulgens,
Aurumq; & gemmas, quas maris unda lavat;
Poſſidet inconſtans genus omne ſiniſtra malorũ,
Et pœnas miſeras, luctificaſq; cruces.
Quos, licèt indignos, adamat fortuna doloſa,
Donabit dextræ munera pulchra ſuæ;
Exercet ſed quos odiis, dat ſæva capiſtra;
Et miſeris pœnis dira ſiniſtra premit.

Alber

Alberti ſecundi Dictum.

Amicus optimæ vitæ poſſeſſio.

SIs licèt argenti congeſto pondere dives,
Et licèt auratum poſſidet arca Jovem.
Fur tamen effractâ bona callidus auferat arcâ,
Collectas populans ſanguinolentus opes;
Vel veſtra heſperias jactetur gaza per undas,
Cum laceræ fluitant naufraga membra ratis.
Elige ſed carum duris in rebus amicum,
Qui ſit præſidium, dulce decuſq; tibi:
Hunc minimè fures, hunc non incendia dira,
A te diripiet naufragiumve vorax.

Fride-

Friderici tertii Dictum.

Rerum irrecuperabilium fœlix oblivio.

AUferet uxorem ſi pallida funeris hora,
Vel gnatos blandos, pignora chara patris;
Fac corpus querulo, fac mens vacet ægra dolore,
Nec ſint triſtitiâ ſaucia corda gravi:
Illorum vultus labantur pectore veſtro,
Excidat ac animo gratia priſca tuo:
Nil etenim reddet præſens, quodcunq; retrorſum eſt,
Nec dabit infectum quod ſemel hora vehet.
Dedoleas igitur; miſerarum oblivio rerum
Fœlix: quæ neſcis perdita, ſalva putes.

Maxi-

Maximiliani primi Dictum.

Tene menſuram, & reſpice finem.

ICarus ut tranans ceratis aëra pennis,
Remigio in ſolitum præpete carpſit iter;
Dum media haud placuit librati ſemita cœli,
Audax Icariis nomina fecit aquis.
Sic quiſquis nimiùm ſublimes quærit honores,
Quorum nec finem, nec videt ille modum;
Infauſtè, graviterq ad terram pondere diro
Labetur, caſu præcipitiq; ruet.
Quod nimium, miſerum eſt: modus eſt pulcherri-
(ma virtus;
Ultrà quam rectum ſtare, citràque nequit.

Caroli

Caroli quinti Dictum.

Plus ultra.

QUi virtutis iter velit inceptare decorum,
Proferre hunc fas eſt, non revocare gradum.
Sic qui Marte ferox, & vinci neſcius armis,
Indomitâq; manu bella cruenta gerit;
Conſilium egregium robuſtis viribus addat,
Conſilio jungat juſtitiamq; ſacram.
Ulterius ſemper tendat, dum poſſidet omnem
Virtutem, aſſiduè dum meliorq; redit.
Nam licèt in medio benè ſcit conſiſtere virtus,
Nulla tamen metam, ſcit quoq; nulla modum.

Fer-

Ferdinandi primi Dictum.

Fiat juſtitia, aut pereat mundus.

CUi dulcem numen dedit auxiliare ſalutem,
Cujus & haud ullas corpora languor habet;
Hic medici vivit præſcriptis legibus æqui,
Expertâ morbos qui levat arte graves.
Vivere non alitèr rex, qui populumq, valere
Optat, ut eveniat tuta ſaluſq; ſuis;
Juſtitiæ ſacræ gratis juga flectat habenis,
Legibus imperii frœna regatq; ſui:
Hic ſine non mundus, non ſe natura tuetur,
Sed perit, in priſcum tota reditq; chaos.

Maximi-

Maximiliani ſecundi Dictum.

Dominus providebit.

URbs ſiquandò capax, domibus decorata ſu-
(perbis,
Perpetitur longas obſidione moras ;
Mœnia cum claudunt delecto milite turmæ,
Inſomni vallum qui ſtatione tenet ;
Si ſacrata Jovi dant cives thura potenti ;
Improviſus opem, ſuppetiaſq; feret.
Sic ſi te morbi, ſi dira pericula cingunt,
Cùm ſpes nulla fugæ, nulla ſalutis erit ;
Excubias agit ipſe deus : jam deſpice peſtes,
Et fata ; hoc uno præſide tutus eris.

Rud ol-

Rudolphi ſecundi Dictum.

Omnia ex voluntate dei.

QUid titulos captes, & vani nominis auram,
Quidve auri miſerum dira cupido trahit?
Vel cur optamus nullo decumbere morbo,
Ut non dira lues corpora ſana premat?
Quin potius quò fata trahunt, retrahuntq; ſequa-
(mur,
Arbitrio cedant votaq; noſtra dei.
Si volet hic etenim, paupertas ditior omni
Theſauro eſt, pejor morbus & ipſa ſalus.
Sic volo, ſic iubeo, ſtat pro ratione voluntas
Numen ait; ratio quæ mihi ſola datur.

Mat-

Matthiæ
Dictum.

Concordia lumine major.

SIgna regit Phœbus duodena volubilis anni;
Non dubio moderans tempora fluxa modo;
Collucere facit formosis floribus agros,
Mollitèr irriguo cuncta calore fovens.
Non aliter concors pax, Phœbi lumine major,
Vitæ confirmat tempora sola brevis;
Agricolæ segetem flaventem donat aristis;
Securam stabili connubioq; fidem:
Pace senes itidemq; meritum cultumq; mariti
Servant, ipsa suum religioq; deum.

Ferdinandi ſecundi Dictum.

Legitime certantibus.

CUltor agri fruges in farrea mittit honeſtâ
Curâ, divitias dat meritaſq; labor;
Mercatorq; vagus, pictos dum currit ad Indos,
Irati patiens dira pericla maris;
Bombicem juſto, gemmas, & thura, labore
Condit, quæ terrâ divite promit Arabs:
Non ſecùs invitè miſcenti prælia Martis
Horrida legitimi digna corona datur;
Sed latrocinium bellum eſt, quodcunq; geretur,
Illicitè, fœlix prædoq; victor ovans.

INDEX:

Libri primi.

Imperat Roman. Eorumq; Symbolorum.

C. Julius Cæsar.

Octa. Augustus.

Tiberius Cæsar.

C. Cæsar Caligula.

Claudius Cæsar.

Sex. Dom. Nero:

Ser. Sulp. Galba.

M. Sal. Otho.

Semel quam semper, page. 1.

Festina lente p. 2.

Melius tondere quam deglubere, 3

Oderint dum metuant, 4

Generis virtus nobilitas, 5

Artem quævis terra alit, 6

Miles legendus non emendus, 7

Unus pro multis, 8

INDEX.

Aul. Vitellius.	*Bonus odor hoſtis, melior civis occiſi,*	9
Flav. Veſpaſianus.	*Lucri bonus odor ex re qualibet.*	10
Titus Veſpaſianus.	*Princeps orbis amor bonus,*	11
Fla. Domitianus.	*Fallax bonum regnum,*	12
Nerva Cocceius.	*Mens bona regnum poſſidet,*	13
Ulpius Trajanus.	*Qualis rex talis grex,*	14
Ælius Hadrianus.	*Non mihi ſed populo,*	15
L. Ælius Cæſar.	*Uxor nomen dignitatis, non voluptatis,*	16
M. Antoninus Pius.	*Melius ſervare unum quam occidere mille,*	17
M. Aur. Anton. Philoſophus.	*Regni clementia cuſtos,*	18
L. Verus.	*Nil obiter,*	19
L. Aure. Commodus.	*Pedetentim Paulatim,*	20
P. Hel. Pertinax.	*Militemus.*	21
M. Didius Julianus.	*In precio precium,*	22
C. Peſcennius Niger.	*Placere vivus, laudari mortuus volo,*	23

La-

INDEX.

L. Septimius ſeverus.
M. Anton. Caracalla.
P. Sept. Geta.
M. Severus Macrinus.
M. Aure. Elagabalus.
M. Aure. Alexander.
Maximinus.
C. Juli Maximinus.
M. Ant. Gordianus primus.
M. Ant Gordianus ſecundus.
M. Clo. Pup. Max.
D. Cœl. Balbinus.
M. Ant. Gordianus tertius.
M. Ju. Philippus prim.
M. Ju. Philippus ſecun.

Laboremus, 24
Omnis in ferro ſalus, 25
Nulla fides regni, 26
Ferendum ac ſperandum, 27
Suus ſibi quiſq; hæres optimus, 28
Quod tibi hoc alteri, 29
Quo major hoc laborioſior, 30
Ultorem ulciſcitur ultor. 31
Omnis vita ſupplicium, 32
Pro patria mori pulchrum, 33
Qui timetur timet. 34
Bonis nocet qui malis parcit, 35
Princeps miſer quem latet veritas, 36
Malitiæ ignoïdenea, 37
Multa nec apta, 38

INDEX.

C. Trajanus Decius.

Q. Etruſcus Decius.

C. Trebonianus Gallus.

C. Vibius Voluſianus.

C. Ju. Æmilianus.

P. Licin. Valerianus.

P. Licin. Gallienus.

Saloninus Valerianus.

C. Caſſius Poſthumus.

M. Aurel. Claudius.

M. Aur. Quintilius.

L. Dom. Aurelianus.

M. Claudius Tacitus.

M. Annius Florianus

Apex magiſtratus authoritas, 39

Fugitivo nulla corona, 40

Nemo amicus idem, & adulator, 41

Sine vano publica fama, 41

Non gens ſed mens, 43

Non acerba ſed blanda, 44

Prope ad ſummum prope ad exitum, 45

Magnum Satellitium amor, 46

Audentes fortuna timet. 47

Rex, viva lex, 48

Honeſta mors, heneſta turpitudo, 49

Quo major, eo placabilior, 50

Sibi bonus aliis malus, 51

Injuria unius, minæ multorum, 52

Pro

INDEX.

M. Aure. Probus.
M. Aure. Carus.
M. Aure. Numerianus.
M. Aure. Carinus.
C. Valeri. Diocletianus.
M. Aure. Vale. Maximianus.
Fla. Vale. Conſtantius.
C. Gale. Maximianus.
C. Gale. Maximinus.
Fla. Vale. Severus.
M. Aure. Maxentius.
C. Vale. Licinius.

Pro ſtipe labor, 53
Bonus dux bonus comes, 54
Eſto quod audis, 55
Cedendum multitudini, 56
Nihil difficilius quam bene imperare, 57
Melius mori quam ſibi vivere, 58
Virtus dum patitur vincit. 59
Tutum ſilentii præmium, 60
Marcet ſine adverſario virtus, 61
Semen eccleſiæ ſanguis piorum, 62
Phryx plagis emendatur, 63
Peſtis reip. litera. 64

INDEX

Libri ſecundi.

Imperat. Græcorum; Eorumq; Symbolorum.

FL. Conſtantinus Magnus.	*Immedicabile vulnus enſe recidendum,* 69
Fla. Julius Criſpus.	*Homo non homo iratus,* 70
Fl. Conſtantinus Junior.	*Difficilia quæ pulchra,* 71
Fl. Julius Conſtans.	*Creſcente ſuperbia, decreſcit fortuna,* 72
Fl. Julius Conſtantius.	*Patiens ſit principis auris,* 73
Magnentius.	*Pudor juveni decus, ſeni dedecus,* 74
Decentius.	*Celare dolorem difficile,* 75
Fl. Julianus Apoſtata.	*Pennis ſuis feriri grave,* 76
Fla. Jovianus.	*Scopus vitæ Chriſtus,* 77
Fl. Valentinianus.	*Princeps ſervator juſtus,* 78

Alie-

INDEX.

Fl. Valens.	*Alienus ab ira, alienus a justitia,* 79
Fl. Gratianus.	*Non quam diu sed quam bene.* 80
Fl. Valentinianus Junior.	*Amicus veterrimus optimus,* 81
Fl. Magnus Maximus.	*Nunquam periculum sine periculo vincitur,* 82
Theodosius Magnus.	*Eripere telum non dare irato decet,* 83
Fl. Arcadius.	*Summa cadunt subito,* 84
Fl. Honorius.	*Male partum male disperit,* 85
Fl. Theodosius Junior.	*Tempori parendum,* 86
Placidius Valentinianus.	*Omnia mea mecum porto,* 87
Fl. Marcianus.	*Pax bello potior,* 88
Fl. Leo Magnus.	*Regis clementia virtus,* 89
Fl. Leo Junior.	*Fide & diffide,* 90
Fl. Zeno Isauricus.	*Malo nodo malus cuneus,* 91
Fl. Anastasius Dicorus.	*Mellitum venenum blanda.*

INDEX.

Fl. Anicius Juſtinus.

Fl. Anicius Juſtinian.

Fl. Juſtinus Junior.

Tiberius Conſtantinus.

Fl. Tiberius Mauricius.

Fla. Foca.

Fla. Heraclius.

Fl. Heraclius Conſtantinus.

Fla. Heraclionas.

Fl. Conſtans ſecundus.

Fl. Conſtant. quartus Pogonatus.

Fl. Juſtinianus ſecund.

Fla. Leo quartus.

da oratio.

Quod pudet hoc pigeat, 93

Summum jus ſumma injuria, 94

Libertas res inæſtimabilis, 95

Stips pauperum theſaurus divitum, 96

Quod timidum idem crudele, 97

Fortunam citius reperias quam retineas, 98

A deo victoria, 99

Inſania læta voluptas, 100

Mali principi malus exitus, 101

Parendum neceſſitati, 102

Quod cito fit cito perit, 103

Multi nimium, nemo ſatis, 104

Pulchra eſt concordia cordis

INDEX.

Fl. Tiberius Abſimarus

Fl. Philippicus Bardanes.

Fl. Anaſtaſius ſecund.

Fl. Theodoſius tertius.

Fl. Leo quintus.

Fl. Conſtantinus quintus.

Fl. Leo ſextus.

Fla. Conſtantinus ſextus.

Irene Auguſta.

cordis & oris. 105

Nimium boni nihil mali, 106

Fortuna cito repoſcit quæ dedit, 107

Si non das accipit ultro, 108

Patientia remedium malorum, 109

Occulti inimici peſſimi, 110

Quid ſine pectore corpus, 111

Quo fortuna ſi non uteris, 112

Muliere imperare res deſperata, 113

Vive, ut vivas, 114

INDEX

INDEX

Libri tertii.

Imperat. Germanic.	*Eorumq; Symbolorum.*
CArolus Magnus.	*Christus regnat, vincit, triumphat,* 117
Ludovicus Pius.	*Omnium rerum vicissitudo,* 118
Lotharius primus.	*Ubi mel, ibi fel,* 119
Ludovicus secundus,	*Par sit fortuna labori,* 120
Carolus secundus Calvuls.	*Justitiam injustitia parit,* 121
Carolus tertius Crassus.	*Os garrulum intricat omnia,* 122
Arnulphus.	*Facilis descensus Averni,* 123
Ludovicus tertius.	*Multorum manus paucorum consilium,* 124
Conradus primus.	*Fortuna, cum blanditur, fallit,* 125
Henricus primus Aucups.	*Tardus ad vindictam, ad beneficentiam velox,*

INDEX.

Otho Magnus.

Otho ſecundus.

Otho tertius.

Henricus ſecundus Claudus.

Conradus ſecundus.

Henri. tertius Niger.

Henricus quartus.

Henricus quintus.

Lotharius ſecundus.

Conradus tertius.

Fridericus Ænobarbus.

Henricus ſextus.

lox, 126

Aut mors aut vita decora, 127

Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum, 128

Unita virtus valet. 129

Nequid nimis. 130

Omnium mores, tuos imprimis obſervato, 131

Qui litem aufert execrationem in benedictionem mutat. 132

Multi multa ſciunt, ſe autem nemo. 133

Mortem optare malum, timere pejus, 134

Audi alteram partem. 135

Pauca cum aliis, tecum multa. 136

Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare, 137

Qui neſcit tacere, neſcit loqui 138

Suitus

INDEX.

Philippus tertius.

Otho Quartus.

Fridericus secundus.

Rudolphus primus.

Adolphus.

Albertus primus.

Henricus septimus.

Frid. Austriacus Pulcher.

Ludovicus quartus.

Carolus quartus.

Wenceslaus.

Rupertus Palatinus.

Satius recurrere quam male currere, 139

Anser strepit inter olores, 140

Minarum strepitus asinorum crepitus, 141

Melius bene imperare, quam imperium ampliare, 142

Animus est, qui divitem facit, 143

Quod optimum idem jucundissimum, 144

Calix vitæ, calix mortis, 145

Morte beata nil beatius, 146

Sola bona quæ honesta, 147

Optimum aliena insania frui. 148

Morosophi moriones pessimi, 149

Misericordia fortunam, non causam spectat, 150

Sic

INDEX.

Sigiſmundus.

Albertus ſecundus.

Fridericus tertius.

Maximilianus primus.

Carolus quintus.
Ferdinandus primus.

Maximilianus ſecund.
Rudolphus ſecundus.

Matthias.

Ferdinandus ſecundus.

Sic cedunt munera fatis, 151

Amicus optima vitæ poſſeſſio, 152

Rerum irrecuperabilium fœlix oblivio, 153

Tene menſuram & reſpice finem, 154

Plus ultra, 155

Fiat juſtitia aut pereat mundus, 156

Dominus providebit, 157

Omnia ex voluntate dei, 158

Concordia lumine major, 159

Legitime certantibus, 160

FINIS.

ERRATA.

LEge concurras pag. 2. propria pag. 15. nex p. 23. fidat p. 26. quodcunq; p. 27. ævi p. 28. ut impoſtor p. 29. faſtigia p. 30. præmonituſq; minis p. 44. ac invicto p. 50. omnes odio p. 51. cavet p. 52. ni triſti p. 63. nummiq; p. 72. cenſet p. 73. pietate p. 77. ſera eſt p. 80. concutit p. 89. adverſos p. 102. quos os p. 105. linguæ p. 122. & nimium p. 130. his ſine p. 156.